W. Chr. Kriegsmanni,

CONJECTANEORUM DE GERMANICÆ GENTIS ORIGINE,

ac Conditore,

HERMETE TRISMEGISTO,

qui S. Moysi est CHANAAN, Tacito TUITO, MERCURIUSque Gentilibus;

LIBER UNUS;

Isque in TACITI de Moribus Germanorum Opusculum, diversis locis COMMENTARIUS POSTHUMUS.

TUBINGÆ,
Impensis PHILIBERTI BRUNNI, Bibl. Tub.
Typis JOHANN-HENRICI REISI,
ANNO M DC LXXXIV.

JOANNES ULRICUS PREGIZER, D.

Lectori Benevolo Salutem.

DUm hisce diebus inter Professorii in *Illustri Collegio* muneris labores, & ipsas, quibus assidendum, *Dicasterij Aulici* causas, *Regna Gentesque in Europa Principes ex Suevis* publicis *Disputationibus*, ad quas Generosi Juvenes Dn. *Wolf-Jacobus Forstner*, & Dn. *Philippus Henricus a Gölniz*, digna magnis Parentibus nomina, primi respondebant, edere cœpi, obtulit mihi Dn. *Eberhardus Nicolaus*, Proselytus inter nos ex *Lithuania*, ante aliquot annos *Hamburgi* nomen CHRISTO dans, & jam ex liberalitate *Serenissimi* harum Terrarum *Ducis* ADMINISTRATORIS *Tubingæ* vivens, *Wilhelmi Christiani Kriegsmanni Conjectanea* hæc de *Germanicæ Gentis Origine*, si

qua fortaſſis illa dicto operi Diſputationum inſervire ex quadam argumenti cognatione poſſent. Perlegi mox iſta, & nolui privatis uſibus retinere, præſertim cum qui hæc obtulit, & *Wormatiæ* a Viro quodam Clariſſimo inſtar eximii cujusdam doni accepiſſe dicebat, eorundem editionem intendebat, qua non adeo viſa fuerunt indigna, ut lucem publicam adſpicerent, deſtinata etiam huic ab ipſo quondam Authore. Itaque dum ex Bibliopolis, qui hic ſunt, Dn. *Philibertus Brunnius* ad exemplum Parentis & Avi bene de re libraria quoque mereri ſtudens, impenſas Editionis in ſe ſuſcepiſſet, quæ incidendis noviter typis literarum *Phœniciarum*, *Hetruſcarum*, *Aethiopicarum*, auctæ, prodit nunc in publicum Tractatus hic, Academicam quoque Cenſuram prius ſuſtinens: cui optandum quidem fuiſſet, ut ultima Authoris manus imponi potuiſſet: alicubi enim hic quædam mutanda eſſe, calamo ad marginem manuſcripti exemplaris notavit, quæ qualia ſint, verbis diſtinctis ſignis incluſis ad finem quorundam Capitum in hac Editione notatum eſt. Non tamen propterea imperfectus adeo aut mancus cenſendus

eſt

est hic partus: quem paucis supplere, hinc inde in contextu sermonis, & integritate argumenti, additis etiam posteriorum capitum summis, studui. Quo nomine & fine, quibus subsidiis libellus hic ab Authore suo scriptus sit, ipse primo & ultimo Capite indicat, nec aliud quam Conjectanea in illo vult quæri, ad *Tacitum* inprimis de Moribus *Germanorum*. Rejecit is inter alias opiniones illam, quæ *Ascenazem*, pronepotem *Noachi* fert *Germanorum* conditorem, cui præter *Philippum Melanchthonem*, ipsum *Germaniæ* Præceptorem, & alterum *Philippum Cluverium* (at quantum Virum!) aliosque Viros doctissimos accessit nuperrime quoque Excellentissimus Dominus *Christophorus Hartknochius*, Gymnasii *Thorunensis* Professor, in *Porussia* Antiqua & Nova, part. 1. cap. 2: aliud licet sentiente Viro Summo *Samuele Bocharto* in Geogr. Sacra: cui nomen dare videtur Vir de his quoque studiis meritissimus, & Dignissimus Dn. D. *Philippus Jacobus Spenerus* in Syllog. Genealogic. Historic. Familia Stirpis *Ascaniæ*: quibus Conjectaneis utrinque firmandis, vel decidendus, alius maneat locus. Supra Conjectanea au-

tem, ut hoc unum quoque tangatur, haud ſunt, ſi non infra, quæ Author *Kriegsmannus* cap. 10. & 11. h. l. licet cum Patribus quibusdam Eccleſiæ, & aliis Viris celeberrimis tradit, quaſi *Melchiſedecus* fuerit *Semus*: aliud enim docet Maxime Reverendus & Digniſſimus Dn. D. *Joannes Adamus Oſiander*, Academiæ *Tubingenſis* Cancellarius, & Eccleſiæ Præpoſitus, Theologorum noſtri Seculi Primicerius, in Commentar. ad Geneſ. cap. 14. v. 18. pag. 292. De cætero varia beati nunc *Kriegsmanni* eruditio, & elegantior doctrina, tum ex aliis ejusdem Operibus, tum ex hoc ipſo eluceſcit: in quo præter aliarum optimarum artium & ſcientiarum apparatum, multa non ex *Romanis* ſolum & *Græcis*, ſed & Orientalibus Linguæ *Hebrea*, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, *Phœnicia*, ut & *Perſica*, atque *Aethiopica* literis, ut & Rabbinorum & Talmudiſtarum traditis (quæ quidem in originibus, uti vocabulorum, ita Gentium, ſæpius ad fabulas accedunt) ad uſum hujus argumenti deprompſit, quæ ſtatim Lectori obvia ſunt. His, & aliis modis, facile ſe bono cuivis & docto commendat haud vulgare hujus Viri nomen: cui quondam

in

in Aula *Hartenburgica* Illustrissimi Domini FRI-DERICI EMICONIS Comitis *Leiningensis*, Secreta credita. Inde *Darmstadium* ivit ad Serenissimum Principem LUDOVICUM VI. *Hassiæ* Landgravium, assumptus ab hoc Cameræ Consiliarius: quo charactere deinde in *Palatinatum* concessit *Mannheimium*, ubi sexennio abhinc supremum diem obivit: ad altiora in terris assurrecturus, si ulterius vixisset. Ex libris autem illius, nam liberos nullos reliquit, noti sunt: Pantosophiæ Sacroprofanæ, a *Raymundo Lullio* in artem redactæ, nunc elimatæ ac locupletæ Tabula, cum Synoptica in eandem Introductione: Item Nobilissimi Domini a *Bartas* Erster Welt-Wochen Erster Tag/ex Rythmis *Gallicis* in *Germanicos* conversus liber: cujus continuationem hactenus optarunt plurimi, quod illa versio aliorum puritate & proprietate longe antecederet, & ursit hanc maxime Nobilissimus & Excellentissimus Dn. *Salomon Reiselius*, Medicinæ Doctor, Consiliarius & Archiater *Wirtembergicus* S. R. I. Acad. Nat. Curios. Collega, ex cujus literis novissime ad me scriptis, hæc cognovi: qui etiam hanc ob rem *Kriegsmanno* donavit *AntiBartasium*,

tasium, du Gamont, ea conditione, ut hunc rarum valde Autorem, nec sine ratione contradicentem verteret ea felicitate, qua cœpit *Bartasium:* sed præventus morte, & negotiis occupatus in pulvere ista reliquit: Clarus cæteroquin aliis etiam Scriptis, quæque Pietatis Exercitium concernunt, & quæ nomine suo interdum tecto, interdum expresso, edidit, ut non religiosum minus quam doctum se ostenderet: Ut autem assiduus plurima fuit meditatus, ita in Naturali non solum Scientia valde curiosus, sed & in Historia multum diligens fuit: id-quod præter præsentem hunc Tractatum evidenter demonstrant Dissertationes ejusdem: De attrito per Papas Imperio, deque Pontificatu ab Imp. Cæsare Ecclesiæ Reiq; publicæ causa capessendo. His igitur nunc, quæ arbitrio tuo subjiciuntur, & judicio stant, Benevole Lector fruere: & plura posthac a me, si DEUS volet, in Historia *Alemannia*, & *Suevia*, quæ patria est, exspecta. Ita vale, & laboribus his utrinque æquus fave. Scrib. *Tubingæ* ex Musæo die XXIV. *Augusti*, Anno ab Ortu Salutis M DC LXXXIV.

W. Chr.

W. CHR. KRIEGSMANNI CONJECTANEORUM

De

Germanicæ Gentis Origine, ac Conditore HERMETE TRISMEGISTO &c.

LIBER.

CAP. I.

Originem Germanorum veteribus ignoratam, à multis recentiorum, nobis denique, per meram conjecturam exponi.

G*ermaniæ* incolas inde, à primis usque post dispersionem gentium seculis, nostras tenere regiones, dubium non est: illud verò maximè dubium, quonam conditore, hunc terrarum tractum antiquitùs insederint. Hærent hic non *Græci* tantum Scriptores, sed viri etiam è flore *Romanorum;* vestigatores alioqui rerum ejusmodi solertissimi. Qui, quamvis Gentis nostræ incunabula supra majorum omnium suorum ævum videantur repetere: ita tamen de origine ejusdem nihil prorsus compertum, priscis retrò annis habuêre, ut portenta etiam figmentorum passi fuerint de *Cimbrorum* ortu sibi persuaderi; cùm sexcentesimo & quadragesimo post urbem conditam anno, arma

horum primùm inclarescerent. Unde mirum quoque nemini sit, recentiores historicos, ubi ad *Germanos* ventum est, mero ferè omnes ingenii lusu rem omnium difficillimam expedire hactenus: cùm fieri nequeat, quin in conjecturarum præcipitia abripiatur, qui tacentis aut titubantis antiquitatis vestigia, premere cogitur. Ut maximè verò in obscuro sit omnis majorum nostrorum memoria, non ullo tamen tempore origini nostræ gentis è priscorum ruderibus eruendæ defuêre aut vulgaria ingenia aut eminentia: Enimverò ea tantum abest, ut difficultate rei retundi se quicquam siverint, ut potius de primatu usque adhuc concertârint præclaris conatibus, quibus de hâc antiquitatis particulâ benè mererentur. Et loquuntur id tot lucubrationes, ab utriusque sortis hominibus hactenus in lucem editæ. Nos quoque, quanquam nostri viriumque nostrarum mensuram non nesciamus, ex confidentia aliorum animum sumentes, partem meditationum nostrarum in eandem rem collocavimus: ægrè non laturi, si numerus Scriptorum, qui de origine *Germanorum* tam multa fabulati sunt nugatique, accessione nostri in majus quiddam adolescat. Neque verò alio, quàm conjectaneorum nomine, quæ de *Germanici* populi initiis scripsimus nunc vulgamus: quippe qui probè noverimus, quanti demum ingenii sit, tenebras, quas temporum iniquitas nostræ offudit historiæ, superare posse. Quod eò dictum volumus, ne quis temeritatis nos queat incusare, aut petulantiæ, quòd tot eruditorum virorum placita migrantes, novam quandam, nec ante usque quaque frequentatam opinionem, circa originem *Germanorum* fovere, & quod majus est, in publicum propellere sustinuerimus.

CAP. II.

Initia Germanorum ex elegantissimo Taciti de Moribus eorum libello, utut minus perspicuo, haurienda esse.

MOnumentorum, unde nobis de auctoribus ac Statoribus *Germani* nominis constare possit, præcipuum, imò unicum est, *C. Cornelii Taciti* de moribus *Germanorum* libellus; opusculum in tantum

tantum æstimandum, in quantum Elegantia & pristinus Historiæ nitor intelligi queunt. In laudes autem ipsius, atque auctoris *Taciti* diffunderemur aliquantisper, nisi auctoritas doctorum Virorum, qui elogium utrique jamdudum dixerunt, manum nobis videretur injectura. Quod si ea libello isti perspicuitas foret, quæ elegantia, jam benè nobiscum ageretur, & essent, à quibus lucem *Germanicæ* historiæ speraremus: Nunc ita cum eodem comparatum est, ut dies nos sit defectura ac papyrus, numerum duntaxat dissidentium hîc à se invicem Commentatorum inituros; usque adeò densis immersa sunt tenebris omnia, quæ à *Tacito* de conditoribus nostris traduntur. Cujus tamen culpæ cave Auctorem postules; virum quippe industrium, fidum, ingenuum: In ipsos potiùs *Germanos* antiquos nostros ea derivanda, qui literaturæ humanioris expertes, nec majorum suorum memoriæ, nec studio posterorum consulere vel voluêre, vel potuere. Neque verò *Tacitinis* luculentiora à quoquam veterum expectanda nobis aut requirenda: cùm iidem *Græci* æquè ac *Latini*, & candore, & rerum *Germanicarum* usu, & sedulitate denique ipsâ *Tacito* nostro longè fuerint inferiores. Quò magis ad historicum hunc plerique pertrahuntur eorum, qui *Germanicis* antiquitatibus aliquid operæ impendere decreverunt. Cujus etiam pretium rati nos facturos, huc, quicquid est nostri laboris revocavimus; ad illa acriter animum intenturi, quibus conditorum nostræ gentis *Tuitonis* ac *Manni* mentionem facit princeps historicorum. Prætervehemur autem hîc plurimas doctorum sententias; idque scientes maximè: quandoquidem id jam non agimus, ut Viros illos celebres lapsûs alicujus insimulemus, qui omnem hôc promeruêre laudem, quod stricturas *Germanicæ* historiæ, tanto in rem literariam ac communem affectu, hinc inde îverunt conquisitum. Cæterùm famosam istam nobisque penè hæreditariam opinionem de *Germanorum* conditore *Ascenate*, quin leviter tangamus temperare nobis haud possumus: Eritque illud prima nostra in *Taciti* Libellum cura; quam ponè sequentur ea, quæ de Origine *Germanicæ* gentis ipsimet commentati sumus.

CAP. III.

Viris aliquot doctis pro Ascenate Germanorum conditore depugnantibus parùm præsidij esse in nudâ nominum affinitate, quin Phryges potius Ascenatidas faciendos.

QUi *Germanorum* genus in *Ascenatem*, illum *Noachi* pronepotem referant, & multi sunt, & insignis doctrinæ viri. Qui si, quâ pollent ingenii magnitudine fidem opinioni suæ præstruxissent argumentis alicujus momenti, jam omnem nobis ansam aliorsum abeundi dudum eripuissent: Nunc eas in eam rem promunt rationes, ad quarum invalentiam tyrones literarii ringentur, nedum veterani aut duces. Atque ideò existimo, per eruditos tutò me aliam quærere posse semitam, ubi verbo, qualibus in partes suas illicere illi lectorem soleant, declaravero. Duobus igitur nituntur ii maximè, Vocabulorum affinitate, & auctoritate *Ebræorum*. Quod illud attinet probationum genus, sunt non exiguo numero Scriptores, qui in vocum etymologiis cognationibusque usque adeò occupantur, ut rerum ferè omnem exuant memoriam. His difficile non est, ex *Ascenatis* nomine elicere appellationem *Tuisconis*; ex *Thogarma* verò formare nostrum *Germania*; ex alio denique vocabulo procudere aliud; infelicissimè sanè. Neque verò quicquam est, quòd suæ isthuic derivandi licentiæ, ac quam ea parit opinioni præsidium ab iis quærant nominibus, quæ in *Germaniâ* è prisco ævo superant, & ad *Ascenatis* appellationem soni aliquâ cognatione accedere videntur; qualia v. g. sunt: Aſſen/ Aſcanien / Aſchersleben/ Aſchburg 2c. Quamvis enim sæpè ad obscura illustranda plurimùm conferat vocum affinitas: Ex sola tamen affinitate nominum (verbis docti Viri, *Hermanni Conringii*, præfat. in *Tacit. German.* pag. m. 45, utor) conjicere de gentium rebus, si nullum aliud adsit argumentum, audax esse & temerarium facinus, quis non videt? Quasi verò quidquam vulgatius sit, quàm ut soni quâdam cognatione diversissimæ res in diversis linguis conveniant. Itaque *Getas* esse *Gothos*, *Sacas Saxones*, *Mysios Misnenses*, *Dacos Danos*,

Phryges

Phryges Frisios, Vandalos Venedos, atque in universum Carmanos Persas esse nos Germanos, tantum propter hanc soni aliquam convenientiam quotquot credunt, nescio annon risum potius mereantur, quàm refutationem. Certè mirum est (pergimus *Conringii* verba nostra facere) inventos & in doctorum ordine, quibus isthæc placuerunt. Non negaverim, aliquid illi argumento ponderis inesse, si & alia confirment idem: at ex unico illo tot gentium cognationes, migrationes atque historias condere, dedecet profectò gravem veritatis sectatorem. Atque hæc pro nobis Cl. *Conringius*. Porrò argumentis ejusmodi vel illud nervum inciderit, quòd extra *Germaniam* nostram ampla quoque appellationum hujus generis seges occurrit. Lustra enim mihi *Bithyniam*, *Troadem*, *Phrygiamque* minorem; conterminas regiones: Quot quæso vocabula offendes, ad *Ascenatis* nomen alludentia? Offendes, *Plinio* Nat. Hist. *l. V. cap. 31, 32.* auctore, *Ascanium* flumen, lacum *Ascanium*, *Ascanium* sinum; Offendes aliquot Insulas *Ascanias*, & integram *Ascaniæ* provinciam, cum urbe *Ascanio*. Offendes quoque regione hâc oriundum *Ascanium Trojæ* ævo, apud *Homerum* Iliad. B. ajentem:

> Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς
> τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης.
>
> *Phorcys* rursus *Phrygios* ducebat, & divinus *Ascanius*
> procul ex *Ascania*.

Quod si verò aliis licet, posthabitis his, *Ascenatem Germanis* parentem dare, tantum propter vocum aliquarum *Germanicarum* aliquam cum *Ascenatis* nomine convenientiam: cur nos relictis *Germanis*, *Phrygios* &c. *Ascenatidas* facere nefas sit; hoc à nominum affinitate sumpto argumento? Quo nobis concesso, quotus post hac quisque erit, qui istud Virorum doctorum probandi genus, in hoc de *Ascenate* negotio, magni fecerit?

CAP. IV.

Ascenatem non Germaniam, sed, de magni Viri sententia, Phrygiam minorem &c. insedisse; hujusque populos in excidium Babelis à Jeremia evocatos, non Germanos.

 Quan-

QUanquam de *Phrygiis* quod diximus penitus aspernandum non sit: cùm etiam è doctissimis aliqui nostrâ id ætate censuerint dignum, quod ipsorum calculum mereretur. Plurium instar nobis esse poterit Vir admirandi ingenii *Samuel Bochartus*: Is *Geographiæ Sacræ* opere, *Ascenati* non *Germaniam* nostram, sed ipsas has, quarum mentionem fecimus, *Troadis Phrygiæque* minoris regiones ad *Pontum* usque *Euxinum*, sedem atque imperium assignat; ingeniosè conjectans, *Pontum* istum non ab inhospitalitate ac feritate accolarum, ut plerisque visum, sed ab ipso ejus domitore *Ascenaz* nomen suum, quô & nunc, quantumvis leviter inflexo insigniri solet, invenisse. Postquam enim Vir laudatus *cap. 8. lib. 3. Phaleg.* planè ostenderat: *Gomerum* cum suis *Phrygiam* majorem occupasse. subjungit *cap. 9.* E terrâ *Gomer* i. e. *Phrygia* majore colonos duce *Ascenaz* in minorem, *Troademque* deductos ad *Pontum* usque se diffudisse, qui cùm ex accolarum nomine diceretur *Ascenaz*, à *Græcis* paulùm deflexâ voce nominatus est Ἄξενος, inhospitalis, & postmodùm Εὔξενος in contrarium versâ significatione ad vitandam δυσφημίαν. Cui sententiæ porrò testimonium è *Jeremiæ cap. 51. v. 27.* petit insigne, de quô opinionem de *Germanià Ascenatis* imperio convellere prorsum valeamus. Ait ibi Propheta, excidium ineluctabile *Babeli* imprecatus: השמיעו עליה ממלכות אררט מני ואשכנז; i. e. interprete *Vatablo: Accersite contra eam regna Ararat, Minnæorum & Ascenaz;* Sanè *Germaniam* per regnum *Ascenaz* hîc intelligere velle ineptum sit: quicquid etiam Cl. *Cluverio c. 4. l. 1. G. A.* super hoc loco de *Gallorum* in *Asiam* irruptione &c. videatur. Quis enim vel fando unquam accepit, *Germanos*, in excidium *Babelis* aut vocatos, aut venisse olim? Rectiùs Cl. *Bochartus* ad *Phrygiam* minorem id refert, quam *Cyro* ad *Babylonem* militasse hausit è *Xenophonte*, qui *libr. 7. Cyrop. Cyrum* narrat *Sardibus* captis, & *Caribus* sub jugum missis, *Hydaspen* cum exercitu misisse ἐπὶ Φρυγίαν τὴν περὶ Ἑλλήσποντον, ad *Phrygiam*, quæ est circa *Hellespontum*, id est minorem, & *Phrygiæ* compotem *Hydaspen* ex eâ abduxisse Φρυγῶν πολλοὺς ἱππέας καὶ πελταστὰς multos *Phrygum* equites & scutatos, quos *Babylonem* deduxit *Cyrus*, alios cum equis & armis, alios solis fundis instructos, prout eos in se noverat benè aut malè affectos. Ubi seriò protestor mirari me Cl.

Clu-

'*luverium* verba Prophetæ de *Cyri* in *Babylonios* expeditione acpi nolle, reclamante integro *c. 50.* & *51.* contextu; ac ipso Spiritu ancto *v. 28.* hæc ad *Medorum* Reges, Principes ac Magnates referente: ut luculentiora nunc non adferam. Quibus sanè si qui ad bdicandum regno *Germanico Ascenatem* non moventur, quò ii tanem moveri possint, equidem nescio.

CAP. V.

Patronos Ascenatis perperam ad Rabbinos provocare, cùm nec recentiores omnes ad Ascenatem; veteres autem ad Chanaanum animum inclinent.

EXpendimus ita alterum probationum genus eorum, qui *Ascenatem* pro conditore *Germanorum* habent. Succedit nunc alteum, Rabbinis confisum. Hic verò non minori animi contentione, uàm antè, se gerunt Viri quidam clari; sed pari utrobique eventu. 'rinceps ferè eorum *Philippus Cluverius*, Introd. in Geograph. *lib.* *. c. 6.* cum dixisset nullis ferè rationibus fultus, *Ascenazem Noachi* ronepotem ab urbe *Babylone* in dispersione gentium huc, (in *Geraniæ* regiones) deduxisse suos, splendido *Germaniæ antiquæ* opere assim, cumprimis v. *l. 1. c. 4.* cum confidentiâ quadam scribit: Iinc postmodum *Hebræis* semper gens *Germanorum* dicta fuit *Acenazim.* Certè si hoc extra dubitationis aleam foret, victas daari jampridem eramus manus, quotquot *Cluverio* ejusque commiitonibus adversum tenemus. Quid enim? Rabbini inde ab antiuo ævo *Germanos* nomine *Ascenazim* indigitaverint, & luculenum hinc *Ascenatis* conditoris vestigium non compareat? Audeo uibuscunque confirmare, reliquas adversæ partis rationes omnes rocessuras, uno hoc salvo & indubio. At illud utique magis est n dubio, quàm ut dissidentes à nobis juvare quicquam possit. Noimus equidem aliquot Rabbinos voce אשכנז pro *Germania;* & אשכנזים pro *Germanis* usos: sed novimus & hoc, Rabbinos eos mnes recentiores esse. Quanquam nec recentiores omnes ab adersariorum partibus stare videas. Enimverò pro iisdem non est, uòd Historia sub ficto nomine *Josephi Ben Gorion* noviter *Venetiis*

tiis Anno 1644. edita (cujus partem *Phaleg* suo inseruit *Bochartus*) populos *Alemanniæ* ac *Burgundiæ* i. e. *Germanos* filios facit *Elisæ Javanidis*, dum ait: אלישה הם אלמנייא היושבים בין הרי יוב ושבתמו: *Elisa sunt populi Germaniæ habitantes inter montes Jov & Septimo.* Et explicatiùs alibi: זה לטינוס נלחם עם ישבי אלמניא ובורגוניא בני אלישה למס עובד: *Iste Latinus* (Rex) *bellum intulit Germaniæ & Burgundiæ incolis filiis Elisa, & iis tributum imposuit &c.* Nec prorsus ad mentem eorum loquuntur alii, R. *Abraham Zachut*, constituens *Ascenatem Bohemorum Sclavicæ* gentis caput Libro *Juchasim* i. e. genealogiarum, anno 1502. perscriptarum, ac postmodum 1580. *Racoviæ* excusarum, his verbis: ובני גומר אשכנז וראש מלכות בוהמיא: *Et filii Gomer, Ascenaz, & caput regni Bohemiæ.* Ac sanè sententia de *Sclavis Ascenatidis* roboris non nihil contrahit è citato loco *Jer.* 51. *v.* 27. ubi regnum *Ascenaz* ab Interprete *Arabe* (quem non semel Rabbinizare Viri docti norunt) redditur. Neque verò est, quod ad hoc statim excipere velis, *Bohemos* antiquos origine *Germanos* fuisse, eoque *Ascenati* suam per verba *Zachuti* constare dignitatem. Præterquam enim quòd de *Bohemorum* antiquorum ortu aliud, aliud de modernorum origine sentiendum putem; cùm illi *Germanicæ* stirpis, hi *Sclavicæ* sine dubio sint: certum mihi præterea illud est, *Zachutum* dum hæc scriberet, parùm de antiquis *Germanis Bojemis* cogitasse; quippe qui vix viris utramque Linguam egregiè doctis cogniti, tantum abest ut humaniorum literarum ferè rudibus Rabbinis. Adhæc quis non videt, verosimilius esse, *Zachutum* agere de modernorum *Bohemorum Sclavorum* parente *Ascenate*, quando regnum *Ascenaz Jerem. cit.* 51. *cap.* ab interprete *Arabe* reddi deprehendit regnum الصقالبة *Sclavorum?* Quicquid tamen sit de iis, constat, *Ebræos* illos, qui *Germaniam* אשכנז vocare solent recentiores esse. Convenio hic fidem duorum virorum, quos à lectione Rabbinicorum scriptorum ne invidia quidem dixerit inopes, *Francisci Vatabli*, & nostri *Sam. Bocharti.* Alter horum Notis ad *Jeremiæ* locum ab sese Latinitate donatum, *Judæi* inquit hujus ætatis per *Ascenas* etiam *Germaniam* intelligunt. Alter in tabulâ, quam *Phaleg* suo præfixit chorographicâ, *Germania* scribit, *Ebræis* recentioribus *Ascenaz.* Ne autem auctoritatem tantorum virorum

In

n discrimen quis adducere præsumat, en ipsos Rabbinos antiquioes, longè diversum à recentioribus de origine *Germanorum* sentientes. Non ii mentionem *Ascenatis* faciunt, aut deductorum ab odem populorum in *Germaniam* nostram: sed teste *R. Aben Ezrâ*, t quantô *Judæorum* magistrô, Comment. *in Obadiam* Prophetam ıno quasi ore statuunt: כי ארץ אלמנייא הם הכנענים שברחו מפני בני ישראל i. e. *Terræ Germanicæ incolas esse Chananæos, qui à facie filiorum Israel profugerunt.* Utque omnia rectè sibi content, asserunt, *Chananæos* illos ex *Illyrico* in *Germaniam* penetrasse: Quâ de re alibi erit dicendi locus. Eant nunc ii, qui ad consensum Rabbinorum tanto ardore in hoc negotio provocarunt, & Chanaıæis profugis i. e. Phœnicibus, (qui, ut *Eusebius* in *Chronicis* ait: Φυγον ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν Ισραὴλ, *profugerunt à facie filiorum Israel,)* dent conditorem *Ascenaz*, atque sic originem *Germanorum* expediant. Nobis profectò ii ipsi *Ebræorum* magistri, animos ad *Chanaanum, Noachi* illum nepotem, inclinantes, incitamento fuêre, ıt *Ascenate* res suas sibi habere jusso, non dubitaverimus *Chanaaıum Germanorum* patris in locum eligere. Quam in rem plura in posterum dicturi sumus, opinione illâ de *Ascenate* paulùm, ut promiseramus tactâ, ad *Tacitum* nostrum nunc demum redeuntes.

CAP. VI.

Tacitum de conditore Germanorum pauca; eaque è priscis eorum carminibus, stylo signatis hausta tradere.

ERgò ille, quæ sibi de initiis gentis nostræ comperta erant, in pauca verba; sed à quibus ritè intellectis, omnis antiquitatum Germanicarum series dependeat, compegit. *Celebrant*, ita ait de *Germanis, carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuitonem, Deum terrâ editum, & filium Mannum originem gentis conditoresque.* Unde isthæc hauserit historicus, neminem non videre arbitror: E vetustis scilicet *Germanorum* poëmatibus; quæ oculis eum usurpasse incredibile non est. Et verò nihil agat, qui hîc nos reprehendere velit, aut temeritatis se nos

convictorum cui promittat, quòd scriptorum Carminum usum *Tacito* tribuamus, cùm ipse tamen scripserit, Literarum secreta i. e. scripturæ elementa ac rationem, viros pariter ac fœminas (in *Germania*) ignorare. Verba enim *Taciti* huc non trahenda, secus ac plurimi autumant, certum nobis vel inde est, quòd carmina ista non brevicula, quæque solâ memoriæ custodiâ tot secula potuissent asservari; sed satis prolixa fuisse constat: quæ quoniam cerebri humani ope longùm duratura non erant, in literas redacta oportuit ad posteros pervenisse. Et pervenerunt ea ad *Caroli* usque *Magni* tempora; qui, ut refert *Eginhardus*, barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit memoriæque mandavit. Ut ita sentiremus, fecit Vir in *Germaniæ* nostræ gloriam natus, *Melchior ab Haiminsfeld Goldastus*, ad Parænet. *Tyrolis Winsbekiique* ab sese cum doctissimis annotationibus editos *p. 346.* scribens: *Ex Tacito constat, carminibus celebrasse majorum gesta, quæ adhuc superstitisse Caroli M. ætate Einhardus autor est, & in Germaniæ bibliothecis reperiri, Aventinus.* Imperiti autem, imò ridiculi, quicunque existimant breviculas fuisse cantandi formas, ad instar nunc vulgi cantilenarum: herclè non magis, quam vel *Homeri* poëmata, an *Virgilii*. Quem autem fugit, literarum nomine humaniores scientias eruditionemque venire apud Auctores passim? Certè Cl. *Opitius* Poëta nostras, Vir Latinam Linguam cum paucis edoctus, hunc ipsum *Taciti* locum eo sensu vocis literarum interpretatur *Prosod. German. cap. 4.* scribens: **Und über diß erwehnet Tacitus von den Teutschen in dem Buche/ das er von ihnen geschrieben/ daß/ obwohl weder Mann noch Weib unter ihnen zu seiner Zeit den freyen Künsten obzuligen pflegeten/ fasseten sie doch alles / was sie im Gedächtnis behalten wolten in gewisse Reimen und Getichte.** Itaque quâ fronte quis negabit nobis, literarum secreta *Tacito* dici, quæ aliis, reconditæ, interiores, aut abstrusiores literæ i. e. altiores ac supra captum vulgi disciplinæ; idque eodem modo, quo *Plinius* Præf. *in Hist. Nat.* secretum materiæ (librorum) i. e. sublime argumentum; & *Petronius Arb.* artis secretum & artem secretam, initio *Satyr.* dixêre? Quas humanitatis partes ut *Germanis* cum *Tacito* abjudicemus, num ideò illos extremè stupidos pronunciabimus? num scribendi

artis

ırtis prorsus rudes credemus? num *Carolum M.* scripturæ *Germanicæ* Architectum cum aliquibus habituri sumus? Nequaquam. Homines, ita potiùs cum Cl. *Goldasto* censemus, sunt perfrictæ fronis, in majoresque nostros insigniter injurii, qui extremæ incusare barbariei & feritatis fingere crimen non verentur. Tolle enim sermonis horriditatem, quid amabo in illis unquam fuit, quod jure atque merito debeant in reprehensionem adducere? Et illo ipso sermone, quem tantopere aversantur, nonne libros scripsere de officiis judicum, de conversatione civili, de re militari? At hæc res fuit non extremùm barbaræ, sed gentis tum politioris. Explosione igitur, mutuamur iterum à *Goldasto* menti nostræ verba, digniores quàm ide sunt, qui *Carolum M.* constituunt scripturæ *Theutonicæ* Dædalum, qui quidem nihilo magis fuit, quàm *Grajæ Alexander M. Romanæ J. Cæsar*, quos ille æmulatus est. Ergò jam *Tacito* è vetustis majorum nostrorum carminibus, absque dubio lectis innotuit de conditore *Germanorum Tuitone.*

CAP. VII.

Tuitonem esse Chanaanum, Theutum, Mercurium, ac Gallorum veterum inter Celtas (qui naturâ, linguâ, moribus iidem ac Germani) patrem Diten.

SEd quisnam iste *Tuito*, si non *Ascenas*, ut aliqui eruditorum tantum non sanxerunt? Cl. *Cluverius* rogatus sententiam DEUM Ter Opt. Max. nomine hoc innui censebit. *l. 1. cap. 9. Germ. Antiq.* quam firmiter dispiciant alii. Nos magis ad rem pergentes, verbo respondemus: est Nepos *Noachi Chanaan; Phœnicum* ille *Taaut; Ægyptiorum Theut*, sive *Hermes Trismegistus;* gentiliumque decantatus *Mercurius; Teutates*, ac pater *Dit Gallorum.* Habes verbo, quæ de *Tuitone* sentimus. Nunc ut è tenebris me evolvam, agendum mihi omnium primo cum *Gallis:* Quos, primos scilicet illos, & antiquissimos, cum *Germanis* eodem patre prognatos, quemlibet probi judicii spero judicaturum ubi eos *Germanicæ* originis olim fuisse certis indiciis demonstrâro. Præstiturus igitur illud, in medium initio producam appellationem *Galli;* quam *Ger-*

manicam esse, laudatus aliquoties *Goldastus*, rerum nostratium quasi arbiter quidam me docuit, scribens præfatione ad Lectorem **im ersten Theil der Reichs-Satzungen: Und stimmt mit der Hermannischen** Appellation **und** Etymologia **auch fein überein der ander Teutsche general Nam Helden/ oder Chelden/ daraus die Griechen und Römer** Celtas: **deßgleichen der dritte Walle/ daraus jetztgemeldte Völcker** Gallos **gemacht** ꝛc. Adjungam nomini universam *Gallorum* linguam & *veterem* & *modernam:* Illam planè cum Germanica eandem extitisse, à multis eruditorum probatum est, & fatetur id, qui alioqui nobiscũ non facit Cl. *Cluverius*, dum *l. 1. Ant. Germ.* per integra, *5*, *6*, *7*, & *8*. capita demonstrat, unam eandemque linguam antiquissimis temporibus fuisse per universam *Hispaniam*, *Galliam*, *Britannicas* insulas, *Germaniam* & *Illyricum*, omnesque has nationes in universum *Græcis* dictos fuisse *Celtas*, item *Teutiscos* **die Teutische.** Sed & ipsam Gallorum modernam linguam excutientibus sexcenti occurrunt Idiotismi, sexcentæ structuræ, sexcenta deniq; vocabula è germanico solo eò transplantata. Et hanc, *Germanicam* agnoscere matrem testatur præ aliis Nobilis ac celeberrimus Regis *Galliarum* interpres *P. Banse du Puis*, *Gallus* ipse, qui, quàm vindicaverit in Grammatica sua *Germanica*, *Germanico* idiomati maternum in Gallicam linguam jus, notum est. Quod deinde ipsâ naturâ, moribus, atque institutis *Galli* isti vetustiores cum *Germanis* conveniant, ut plura taceam, confirmat *Strabo*, princeps Geographorum, dum *lib. IV. Geograph.* scribit: Καὶ γὰρ τῇ φύσει, καὶ τοῖς πολιτεύμασιν, ἐμφερεῖς εἰσιν οὗτοι (Γάλλοι καὶ Γερμανοὶ) καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις, ὅμορόν τε οἰκοῦσι χώραν διοριζομένην τῷ Ῥήνῳ ποταμῷ, καὶ παραπλήσια ἔχουσιν τὰ πλεῖστα. *Nam & natura & vitæ institutis gentes hæ invicem similes sunt & cognatæ, confinem habitantes regionem Rheno divisam, & pleraque inter se similia habentem.* Item *libr. VII.* Γερμανοὶ νέμονται, μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου, τῷ τε πλεονασμῷ τῆς ἀγελότητος καὶ τοῦ μεγέθους, καὶ τῆς ξανθότητος. τἆλλα δὲ παραπλήσιοι καὶ μορφαῖς καὶ ἤθεσι καὶ βίοις ὄντες οἵους εἰρήκαμεν τοὺς Κελτούς. *Germani habitant, à Gallis parùm differentes, si feritatis, corporum magnitudinis & fulvi coloris excellentiam spectes. Sed & formâ & moribus, & victu adsimiles sunt Gallorum, de quibus diximus.* Omnium verò luculentissimè de eo testatur Divus *Julius Cæsar:* è cujus

cujus libro VI. *Commentarior. de bell. Gallic.* cum opusculo *Taciti* nostri collato, nisi quis consanguinitatem utriusque gentis antiquissimæ deprehenderit, næ is mihi omni & sensu & ratione orbus est. Hinc autem, quod antèa dixi, liquere arbitror: Eâdem stirpe processisse *Germanos* atque *Gallos*. Quo in vado constituto, ulterius in patrem *Gallicæ* gentis inquirendum erit. Quem, quisquis tandem sit, eundem cum *Germanorum* parente *Tuitone* esse, necesse est. *Cæsare* igitur referente, *Galli* se omnes à *Dite* patre prognatos prædicant, idque à *Druidibus* proditum dicunt. En jam rem omnem confectam! *Gallorum* parens utique idem est cum *Germanorum* patre; tum, quòd utraque gens, ut probavimus, sanguine alteram attingit; tùm quod alterius nomen uterque iisdem propè literis refert; i. m. *Tuit*, & *Dit*. Ac hoc ipsum agnoscit quoque *Cluverius de Ant. Germ. c. 9. l. 1.*

CAP. VIII.

Diten sive Tuitonem fuisse Deum Teutaten, i. e. Germanorum ac gentilium Mercurium.

POrrò non ad alia prius descendam, quàm quid de *Dite* hoc *Gallorum* i. e. *Germanico Tuitone* majores statuerint, exposuero. Enimverò, cum suum genus ad eundem retulerint & *Galli* & *Germani*, hebetis admodum judicii homo sit, qui hos de illo præclari quid aut credidisse aut credi à posteris voluisse addubitet. Eò vanitatis ne quis progredi queat, *Tacitus* noster cavit, quando *Tuitonem* à *Germanis* DEUM terrâ editum celebratum memorat; clarè innuens, divinos illi honores antiquitus in *Germaniâ* fuisse decretos. Quod ipsum de *Gallico* quoque *Dite* affirmandum esse tam certum mihi est, quàm quod certissimum. Et verò, circa hæc occupato occurrit quidam *Teutates*, sive, ut alii scribunt, *Teutanes*, horrendâ religione à *Gallis* cultus: Quem equidem non possum non pro *Dite* venditare, cùm ob apertam appellationis utriusque cognationem, per quam anteà stetit, ut *Tuitonem* & *Diten* pro eodem haberemus, tùm ob Clarorum Virorum, & in his Cl. *Cluverii* adsensum, quem ille disertè nobis perhibet *c. 9. l. 1. Antiq. Germ.* & *capite 6. lib. 3.*

Introd. in Geograph. Teutatis hujus mentionem facit *Lucanus*, recensens *Gallorum* numina, *lib. 1. Pharsal.* ubi ait:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates: horrensque feris altaribus Hesus.

Quem verò Poëta Deorum *Teutatem* vocitet, nemini obscurum fore arbitror. Eum scilicet, qui sanguine placatus *Gallis*. Atqui is erat *Mercurius* tàm *Gallorum* quàm *Germanorum:* testantibus id *Julio Cæsare, Tacito,* ac Beroso *Annii Viterbiensis*, cujus viri non planè repudiandi verba è libr. 5. apponi hîc merentur: *Porrò Teutanes* (inquit ille) *Germanis Mercurius exstitit, cui cognomentum sacrificus ritus indidit, reddebat enim pallentes eos, qui sibi gratis immolabantur.* Quid? quod *Livius libr. XXVI. Teutati* expresſè appellationem *Mercurii* tribuat, *Scipio*, inquiens, *in tumulum obversus, quem Mercurium Teutatem appellant.* Loquitur autem de *Hispanis*, quos eâdem, quâ *Galli* ac *Germani* fuisse origine è Cl. *Cluverio* constat. Itaque firmum per hæc evadat *Diten Gallorum* i. e. *Germanorum Tuitonem* fuisse eum ipsum *Mercurium*, quem *Teutatis* nomine, victimarumque humanarum cruenta oblatione venerati sunt majores nostri Deorum unum maximè. Cujus de donis in humanum genus collatis, ac muneribus, quæ cultorum bono obit, ita retulit *Cæsar*, ut fungos arbitrer ac stipites, quotquot de alio quàm fabuloso illo gentilium *Mercurio* sermonem esse judicaverint. Quanquam *Cæsarem*, quòd scribit: *Ob eamque causam* (quòd *Dite* prognati *Galli*) *spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium definiunt &c.* negligentiæ in exprimendo parentis *Gallici* nomine, jure quis postulare queat: quando de persona ejusdem conditoris *Gallorum* sollicitus, ad *Plutonem* abripi sese, non ad *Mercurium* senserit; eò quòd & nomen *Ditis*, & nox sive tenebræ *Plutoni*, ut notum est, sacrata sint, non *Mercurio*. Nisi inde lucem verbis *Cæsaris* fœnereris, quod *Mercurio* quoque necessitudinem cum Nocte intercedere, colligi possit ex epigr. LV. cap. 6. lib. 3. *Anthol.* ubi dicitur:

ἀλλὰ πρὸς ἐγγαίων αἰδωνέος, ἑρμεία τε καὶ νυκτὸς
ταύτης ἐκτὸς ἴτ' ἀτραπιτοῦ.

Sed per terrestres (deos) *Plutonem & Mercurium,*
hanc extra ite semitam.

Quò

uò mirum nemini videatur, *Gallos*, sed & *Germanos* (de iis enim em *Tacitus*) noĉti in temporum serie metiendâ primas dedisse: uandoquidem nox societatis vinculo *Mercurio* juncta, tale quid gente, honorum *Mercurii* studiosissima, efflagitare potuerat.

CAP. IX.

Mercurium Germanorum esse Theutum Ægyptiorum sive Hermetem Trismegistum.

Iquidò ex anteà dictis patet, ortum & *Gallorum* & *Germanorum* à *Mercurio* arcessendum nobis esse. Sed quoniam plures ère *Mercurii* nomine inclyti, teste *Cicerone*, qui *libr. 3. de Nat. eor.* quinque eorum numerat: Unum qui Cœlo patre & Die matre atus sit, cujus obscœnis excitata natura traditur, quod aspectu *roserpinæ* commotus sit. Alterum *Valentis* & *Phoronidis* filium, um qui sub terris habitet & *Trophonius* appelletur. Tertium *Jove* rtio natum & *Majâ*: ex quo & *Penelopa Pana* natum ferunt. uartum, *Nilo* patre: quem *Ægyptii* nefas habeant nominare. uintum quem colunt *Pheneathæ*, qui *Argum* dicitur interemisse, eamque causam *Ægypto* præfuisse, atque *Ægyptiis* leges & liras tradidisse: dispiciendum nunc ulterius erit, quisnam horum nti *Germanicæ* præfici debeat. Hic verò facem nobis ipse tollit icero, inquiens: hunc *(Mercurium Pheneatharum) Ægyptii Theut* el, ut alii Codd. legunt *Thoyt, Thot &c.*) appellant. Cœcus sit, do, nisi prorsum vecors, quisquis statim hinc, quem *Germanos* parente agnoscere conveniat, non perviderit. Quantum enim æso distant à se invicem *Tuit, Dit, Teutat,* & *Theut* sive *Thoyt, ercurii?* herclè ne tantillum. Itaque ab ipso *Cicerone* ad *Ægyptiorum Mercurium Theut* (qui omnium consensu *Hermes* est *Trismegistus*) ablegati, eamus impigrè de tanto sive homine, sive Deo, *Germanicarum* rerum statore, inquisitum.

CAP. X.

Hermetem Trismegistum verè extitisse Noachidam, eumque Chanaanum i. e. Tuitonem Germanicum.

EXtitisse olim *Mercurium* quendam *Theutum*, qui alio nomine *Hermes Trismegistus* sit vocatus, hominem omni genere sapientiæ instructissimum in vulgus usque notum puto. Unde nec *Cluveriō* pro DEO T. Opt. Max. eum *c. 26. l. 1. Germ. Ant.* habenti assensero, nec eos audivero, qui, quum in quo pedem hìc figant, non inveniunt, ad figmenta dilabuntur, comminiscentes ipsi, *Hermetis* hujus appellatione occultam quandam naturæ vim per fabulam denotari. Quasi verò tot sagacissimi populi, *Phœnices*, *Ægyptii*, *Arabes*, *Græci*, *Romani* olim; ac nostro ævo tot Clarissimi Viri, meris tantùm fabulis regi sese passuri fuerint: & cùm nunquam atque nusquam *Trismegistus* quis extiterit, hi propiùs nonnihil eum noscere futili conamine usque adhuc allaboraturi. Diu profectò est, quòd *Hermetis* hujus persona totum in se literarium orbem convertit: qui anxiè quoque quis ille fuerit, disquisivit. Clariora equidem ejus lumina magnificum ipsius nomen in claritatem filiorum nepotumque *Noachi* referre consensêre: Sed tamen, quisnam horum tanto nomine dignus prædicandus, id verò est, in quo nondum certi quid observare licet; agnoscentibus quibusdam *Hermetem Semum* aut *Melchisedecum*, quibusdam auditorem *Noachi* ac præceptorem atque notarium *Chusi*, ejusque liberorum *Isidis* & *Osiridis* præfectum; quibusdam alium. Nos, quæ nostri judicii parvitas est an pravitas, digniorem qui celebre hoc nomen gereret, in Sacris literis deprehendimus neminem *Chanaano*, *Noachi* illo nepote, conditore illo celeberrimæ *Phœnicum* gentis, de quo *Moses*, ut notum, *cap. 9. & 10. Gen.* commemorat. Eoque hunc elegimus ab initio statim patriæ nostræ regem quendam, qui solium imperii, *Ascenatis* abdicatione vacuum occupet, sitque *Tuito Taciti* nostri nostræque gentis origo conditorque. Confirmabimus autem ei posthac

hac utramque, quâ ipsum auximus dignitatem, luculentissimis, quoad ejus à nobis fieri poterit, argumentis.

CAP. XI.

Genus Chanaani cum genere Hermetis convenire hujusque patruum Syduc esse Semum, patrem verò Misor vel nominis significatu Chamum.

AC initio quidem insigne huic de *Chanaano Ægyptiorum Hermete* negotio petere licet argumentum à genere & *Chanaani* & *Hermetis Theut*. Ut enim Sacris literis perhibentibus, *Chanaan* parente *Chamo*, *Semi* fratre cœpit: Sic *Ægyptiorum* quoque *Hermes* i. e. *Taaut Phœnicum*, patre *Misore Syduci* i. e. *Zedeki* fratre prognatus legitur apud *Sanchoniathonem*, scriptorem *Phœnicem* antiquissimum, cujus fragmenta Christiano orbi conservavit celebris ille *Eusebius Pamphili*, in suis προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς libris; eaque ex interpretatione *Philonis Byblii*. Postquam enim *Sanchoniathon* de mundi hominumque ac diversarum artium initiis ex monumentis *Phœnicum* disseruisset, mentionemque fecisset duorum fratrum *Syduc* & *Misor*, subjicit tandem: ἀπὸ Μισὼρ Τάαυτος, ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὼθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἕλληνες δὲ Ἑρμῆν ἐκάλεσαν. *A Misore* (natus est) *Taautus, quem Ægyptii Thoot, Alexandrini Thoyt, Græci verò Hermetem nominarunt*. Primum inquam hinc extruo pro *Chanaano Hermeticæ* gloriæ argumentum. Enimverò fratrem *Misoris Syduc*, i. e. interprete *Philone*, justus, *Ebraicè* צדק esse *Semum* fratrem *Chami*, admissurum spero quemlibet; dummodò sententiæ Clarissimorum Virorum, *Semum* pro מלכי צדק *Melchisedeco* habentium, temerè refragari nolit. *Misor* autem annon ipse *Cham*? certè non alius. Id ne mireris, en cape ejus rei clara hæc indicia. Primò, Nomen suum *Cham* ab atritate, æstu fortasse corpori ejus inductâ invenit; quemadmodum *Japhet* à pulchritudine. *Ebræum* enim חום fuscum denotare notum, q. d. ex calore adustum; radice vocis חמם calefactus fuit, incaluit. Eodem verò significatu nomen *Misor* eidem imposuerimus: Quippe quod non incommodùm deducere possumus, à *Chaldaico* צהר i. e. lucere,

 splen-

ſplendere, (unde צהרים Meridies) מ participiali præfixo; &c. vel certè à ſimili quapiam voce, quæ apta ſit, ut coloris fuſci ſignificatio inde eli.iatur. Et videntur ſanè ab ejusmodi vocabulo *Germani* priſci *Æthiopem*, & quemcunque fuſcæ faciei hominem vocaſſe einen Sur. *Winsbeke*, eques antiquus *Germanus*, cujus Carmina parænetica ad filium laudabili Cl. *Goldaſti* induſtriæ orbis eruditus debet, *ſtroph. XXXVIII.* ſic canit:

> Sun Hohvart und Gitekeit
> Du zwei ſint böſe Nachgebur/
> An den der Tiefel ſich verſincit
> Das im Sin ſüſſe wart zeſur
> Sin ſchöne ſwerzer dann ein Sur. u. ſ. f.

ſchwärzer dann ein Sur/ i. e. nigrior *Æthiope*. Ad palatum quidem hîc nobis ſunt, quæ laudatus *Goldaſtus* de origine vocis Sur è *Syria* arceſſit, *Germani*, inquiens, equites, cùm ex *Syriaca* expeditione pueros nigricantes, qui eſſent in deliciis, ſecum abduxiſſent, inolevit, ut homines nigros communi *Syrorum* nomine appellarent, quos hodiè *Maurorum* Moren. Sed tamen & illud ad palatum, quòd *Syriam* à calore regionis, quæ aduſtione ſuâ atritatem ac nigredinem inducit corporibus à priſcis *Germanis* Surie vocatam autumat: non facturus id utique, niſi vocem quandam *Ebraicam* aliamve ex oriente colorem fuſcum denotantem hîc ſubeſſe ſuſpicaretur. Ea verò quæcunque tandem ſit, idonea ſit neceſſe eſt, ut ab eâ nomen *Miſor* derivari poſſit: Quod tunc *Chamo* tributum ſententiam de eo noſtram inſigniter ſuffulciet.

CAP. XII.

Miſorem eſſe Chamum, probari inde poſſe, quod Ægyptus in Sacris interim Maſor, interim terra Cham audit.

NE tamen quis de probatione eâ à nominis ſignificatu deſumpta, ut nimis tenui, conqueratur, expediet alia, quæ magis in rem noſtram ſint, attuliſſe. In quibus illud principem ferè locum ſibi ven-

rendicat, quòd *Ægyptus*, quæ terra *Cham* in Sacris sæpius appellari solet, non rarò præter vulgatum *Mizraim* sive *Misraim*, nomen *Mazor* sive *Masor* fert apud divinos Scriptores. Observare id licet 2. *Reg. c.* 19. *v.* 24. ubi *Sennacherib* inducitur superbo simul ac procaci fastu hæc locutus: ואחרב בכף פעמי כל יאורי מצור ; quæ perperam vulgata reddit: *Et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.* Et *Vatablus: Et exiccabo plantis pedum meorum omnes rivos, qui pro munitione sunt.* Cùm scitè ad Cl. *Bocharti* mentem verti poterant: *Et exsiccavi plantis pedum meorum omnes aquas Mazor* i. e. *Ægypti.* Conferatur cum eo locus *Esaiæ cap.* 19. *v.* 6. qui eò quod Propheta ibi *Ægypto* exitium denunciat, clarè docebit voce מצור *Ægyptum* indigitari. Ac rectè quoque Cl. *Bochartus* verba *Micheæ c.* 7. *v.* 12. ולמני מצור ועד־נהר: interpretatur: *Et à Masor usque ad fluvium* i. e. ab *Ægypto* usque ad *Euphratem*, qui sunt termini terræ *Chanaan*: notans, R. *Kimchium* etiam tradere, quòd *Mazor* & *Mizraim* idem denotent. Vid. ejus *lib.* 4. *Phaleg. c.* 24. Accedit, quòd Metropolis *Ægypti* moderna *Alcair* apud *Arabes Mezer*; *Ægyptus* verò à *Turcis Mitzir* aut *Miszir* vocitari solet. Eandem autem *Ægyptum* aliàs terram *Cham* dici; cumprimis à *Davide*, è *Psalm. LXXVIII. v.* 51. *CV. v.* 23, 27. *CXVI*, 22. *v.* &c. didicimus. Quid? quod & exteris Scriptoribus ad eum modum *Chemia* nuncupetur; ut *Plutarcho* in suo de *Iside* & *Osirid.* lib. ajenti: Ἔτι τὴν Ἀιγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ χημίαν καλοῦσιν. i. e. *Præterea Ægyptum quoniam maximâ sui parte nigrum est solum, uti nigrum oculi Chemiam vocaverunt.* Unde enatum famosum illud non en ..uô τὴν χημευτικήν, quæ *Ægypto*, atque adeò *Hermeti Trismegisto* ut communis fert sententia, i. e. *Chanaano* natales atque ortum debet, appellare consensimus, ut egregiè observat Vir incomparabilis. *Herm. Conring.* Libr. *de Hermet. Medicin. cap.* 4. Cujus verba quid vetat? huc transscripsisse: *Obiter meretur observari, frustra esse, qui hodiè χημείας vocem à quodam Cheme propheta Ægyptio censent derivari, aut à voculâ Græca χήμη: postquam veram ejus originationem nos docuit ipse Zosimus, utut fabulis nixus. Et verò propheta ille, quem innuunt non χήμης sed χίμης constanter in Græcis illius artis monumentis appellatur. Certe verisimilius alii*

 ap-

appellationem artis ab ipsa regione, ubi est nata, deducunt: quippe, si Plutarcho credimus ipsa Ægyptus sacro sacerdotum sermone Chemia dicta est. Sed fortè legendum est Chamia. notum sane in Psalmis Davidicis alibique Ægyptum vocari terram Ham, & Hieronymus (lib. quæst. Hebr. in Genes.) inquit: Septuaginta pro Ham χὰμ scribunt, exprimentes duplicem aspirationem literæ Heth per χῖ: à quo & Ægyptus usque hodiè Ægyptiorum linguâ Cham dicitur. Hæc *Conringius* obiter. Atque ita alteram probationem, unde clareat *Misorem Taauti* sive *Hermetis* parentem fuisse *Chamum* patrem *Chanaani* sistimus; addentes adhuc illud: non esse, quòd quisquam ambigat, num *Ægyptii* perinde ac *Phœnices Misoris* alicujus, parentis *Theuti* sive *Thoti* notitiam habuerint? Quandoquidem ut apud ipsos nomen mensis primi (qui respondet nostro *Februario*) *Thot* occurrit, à *Mercurio Theut* sive *Thoyt*, *Cicerone l. 3. de nat. Deor.* teste, desumptum: ita quoque ultimi mensis (qui est noster *Januarius*) appellationem *Mesori* fuisse constat. Quæ unde, quæso, petita sit veriùs, quàm à nomine parentis *Theuti Ægyptiaci Misor?*

CAP. XIII.

Roborare nostram de Misore sententiam, quod Deus Sol Persis à nomine Cham dictus Chaman.

ACquieverint in his etiam rigidi probationum exactores: nos tamen majoris lucis gratiâ tertiam pro *Chamo* & *Misore* uniendis promere instituimus, ostensuri Deum Solem à *Persis* modò *Chaman* modò *Mithran* vocari: quorum alterum nomen uti à *Chami* nomine *Cham* est; ita alterum à vocabulo *Misor*, quod ejusdem *Chami* alterum nomen esse suspicamur, scitè formari possit. Norunt igitur *Ebraicarum* literarum studiosi à nomine חום unde *Chamum* dictum monstravimus, descendere חמה Calor. it. Sol. à quo Rabbini derivant nomen illorum חמנים, de quibus passim Sacra Scriptura: Quæ ut scribit R. *Salomon*, citante *Buxtorfio* V. Cl. ad hanc vocem, Idola erant, quæ ponebant super tecta, & quia Soli erant exposita, appellabant ea חמנים. De iis diffusè agit Maximus Vir, *Josephus Scaliger* Castigat. in *Catull. p. m. 123. 124.* Ubi quum locum

ocum è *Strabone* adduxisset, addit hæc: πυραιθεῖα, *quæ vocat* (*Strabo*) *sunt* חמנים *quæ toties Prophetæ populo DEI objiciunt, quum significant, illum εἰδωλομανῆ populum Persicos ritus didicisse.* *Quod enim Hammonim ista sint, docet mox idem Strabo*: ταῦτα (*inquiens*) δὲ ἐν τοῖς τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ ἱεροῖς νενόμισται. Ὠ*μανὸς* enim est חמן. *Qui Prophetarum linguam didicerunt, hæc mihi assentientur.* Hæc *Scaliger*. Quoniam verò è *Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 17.* &c. novimus, incolas Orientis *Jovem* atque *Solem* pro eodem Deo coluisse; Cl. adhæc *Bocharto* docente didicimus: Orientalium *Hammonem Jovem esse Chamum* nostrum *Mosaicum*: factum inde, ut non dubitemus asseverare cum Rabbinis: Solem à *Chami* nomine חמה; Simulachra verò ejusdem plurativo numero חמנים singulari verò חמן dicta fuisse. Neque verò repugnamus, sive hanc vocem *Persicam* statuas cum *Scaligero*, c. l. inquiente: (vox) חמנים *Persica*, licet Rabbini eam à Sole derivent. Quæ vox tunc esset *Hebraica*. Sive malis eam *Ebræam* cum Cl. *Bocharto*, qui dum cognomen primi regis *Persiæ Achæmenis*, (quod indubiè à חמן perinde atque nomen *Achæmeniorum* populorum *Persiæ* ortum) sententiâ Talmudicorum ex אח & ימין deductum exponit מימין מב אחיו i. e. dextrâ fratribus superiorem, *Ebræam* hic originem agnoscit, *Geogr. S. Tom. II. Chanaan c. 1.* Non, inquam, repugnamus. Modò ne dum *Persicam* vocem ad *Scaligeri* mentem asseris, *Ebræam* ei originem cum eodem demas; quæ in *Persicis* vocabulis locum utique habere potest: neve quando *Ebræam* illam agnoscis, ab *Ebræo-Persico* Solis nomine digressus, Talmudicas in derivando ineptias amplectâre. Quæ sanè exspirare incipient, ubi ad magni *Scaligeri* verba de *Achæmeniorum* atque adeò *Achæmenis* nomine expendentur. Ab eo (nomine חמנים) inquit ille, *Achæmenii* dicti sunt. Nam addita aleph in capite, planè facies *Achaman*. Sed ne fortasse putes hæc me somniasse, audi interpretem *Statii* veterem, in primum *Thebaidos*: *Nunc*, inquit, *Achæmenii dicuntur, ubi Apollinem Solem dicunt, cujus & sacrorum ritus invenisse dicuntur.*

CAP. XIV.

Deum Solem, aliàs Persis vocari Mithram, & hoc nomen benè à nostro nomine Mizor deduci.

QUæ hactenus diximus, eò spectant, ut Deo Soli apud *Persas* à nomine *Cham* nomen *Chaman* & *Chamanim* cellisse pateat. Idem verò Deus Sol alio modo ab iisdem *Persis Mithra* vocatur. Tradunt id *Hesychius*, Μίθρας, inquiens, ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. *Mithra Sol apud Persas:* & *Strabo lib. 15. Geogr.* qui ait: Τιμῶσι τὸν ἥλιον ὃν καλοῦσι μίθραν. *Venerantur* (Persæ) *Solem, quem vocant Mithram.* Lutatius item interpres *Statii* in fin. lib. 1. *Thebaid.* dicens: *Persæ in Spelæis Solem colunt, & hic Sol proprio nomine vocatur Mithra.* Quod ipsum clarè exprimit Vetus Inscriptio:

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRÆ
FL. SEPTIMIUS. ZOSIMUS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONIS.
ET. AECATÆ. HOC. SPELÆUM
CONSTITUIT.

Ac videntur inclyto hoc per omnem Orientem vocabulo *Ebræi* principem Angelorum, qui semper videat faciem DEI (quo de *Esai. LXIII, 9.* agi volunt) appellavisse מטטרון *Mittraton*, quod idem valere tradunt atque nomen DEI Ter Opt. Max. שדי, ut liquet è verbis R. *Eliæ Levitæ*, in Lexico suo *Thisbi* scribentis, מטטרון שר הפנים אומרים שהוא המלאך הרואה תמיד בננ המלך יתעלה ועליו נאמר כישמו בקרבו ששמו בשם רבו מטטרון בגמטריאה שדי; i. e. *Mittatron, princeps facierum. Dicunt eum esse Angelum, videntem semper faciem regis excelsi; & de quo dictum sit, quia nomen meum in intimo ejus; quod nomen ejus in nomine Domini sui est. Mittatron in Gematria est Schaddai.* Quod dicitur de nomine Dei שדי congruit cum *Mithra.*

Eum

Eum enim omnium rerum autorem ac parentem habuere *Persæ*. Nomen autem illud Solis benè à voce *Misor*, quà *Chamum* denotari diximus, deduci posse clarum est. Scribe enim mihi vocem *Mithra* *Persicis* literis: & habebis aut مهر *Mithra*, aut مهرا *Mithsra*. Exprime item nomen *Misor* literis *Phœniciis*: erit tibi [Phoenician letters] *Mizor*, *Ebraicè* מצור. Num verò nescis, literas ط & ظ in vocum deductione sæpissimè respondere *Ebræorum* צ? v. g. in *Arabicis*, طور *Thuron* & قيظ *Kaisson*, quæ sunt ab *Ebræis* צור mons & קיץ æstas. Benè igitur, imò optimè formaveris appellationem Dei Solis *Mithra* à nomine parentis *Taauti Misor*, & inde firmiter collegeris fuisse eundem *Chamum* illum, ad cujus nomen Sol aliis dictus *Chaman*. Idque eò tutiùs, quò apertiùs à *Plinio* Nat. Hist. *lib. XXXVIII. cap. 8.* ejusque ibi luculento interprete Cl. *Dempstero* Paralip. *ad cap. 8. lib. 2.* Antiq. *Rosin.* in *Ægyptum* terram illam *Chami* mitteris, ad inquirendum ibi de vocabulo *Mithra*, à nomine regis cujusdam vetustissimi *Mithre*, Soli indito: Qui herclè rex non alius, quàm antiquissimus *Ægypti* Monarcha *Cham*.

CAP. XV.

Chanaanum Argum i. e. Nimrodum intercemisse, atque adeò Mercurium esse Theutum Ægypti.

OStensuri *Chanaanum Hermetem* esse *Theut*, usi sumus argumento à genere ac parente *Theuti Misor*, quem *Chamum* fuisse per integra quatuor capita probatum dedimus. Nunc aliud in idem negotium è cæde *Argi* eliciemus. *Cicerone* igitur auctore *Mercurius Theut* ob eam causam *Ægyptiis* præfuit, quòd interemit *Argum*. Ejus patrati gloriam penes alatum suum *Mercurium* esse voluerunt gentiles alii, eoque illud, quo contigisse acceperunt modo, stylo signavêre; *Ovidius* præcipuè, qui diffusè rem gestam persecutus est libro 1. *Metamorph.* Summa facti huc redit. *Argus* quidam cen-

centoculus *Inachi* filiam *Iona* in vaccam transformatam duriter asservabat. Id ægrè ferens *Jupiter Mercurium* pastorali misit cultu, qui fistulæ dulcedine sopitum *Argum* obtruncaret. Quo facto, *Io* libera evasit, nomenque Deæ *Isidis* apud *Ægyptios* nacta est. Fabulæ huic luculentum inesse de *Chanaano Mercurio Theut* testimonium quivis nobiscum animadvertet, ubi collatio ejus cum *Isidis* ac *Noachi* historia ritè fuerit instituta; Quæ sic se habet: *Inachus Noachus* est, ipso vocabulo; cui pondus addit *Isidis* sive *Jonis* de parente suo confessio apud *Diod. Sic. lib. 1.* Inscriptionem de *Iside* pervetustam in quadam *Arabiæ* insula proponentem: ubi inter cætera de se *Isis:* Ἐγώ εἰμι ἡ τοῦ νεωτάτου Κρόνου θεοῦ θυγάτηρ πρεσβυτάτη. *Ego sum ultimi Saturni Dei filia natu maxima. Noachum* namque *Saturnum* illum esse doctè demonstravit Cl. *Bochartus* init. *l. 1. sui Phaleg. Argus* autem nonne *Nimrod* dicendus? Vox certè ipsa id suadet. Inquire enim in ejus significatum: invenies venatorem *Græcis* Argum denotare; quibus ab ἀγρέω & ἀγρεύω i. e. venor, formatur ἀγρεὺς venator, item ἄγρη & (quod notandum) transpositâ literâ ἄργη, captura, venatio. *Nimrodum* autem fuisse גבר־ציד לפני יהוה; i. e. robustum venatorem coram Domino. *S. Moyses Gen. 10. v. 9.* signanter asseverat. Iste *Argus* ægrè fecit *Joni*, libertatem omnem ei adimendo, i. e. charissimum conjugem *Osiridem* occidit, eoque in XXVI. partes dissecto *Ægypti* regnum *Isidi* eripuit: *Osiris* autem, ceu nominis sono claret, *Assur* erat f. אשור ille integritatis servantissimus, quem scelestus *Nimrod* regno pulsum persecutus est, ut è *v. 11. cap. 10. Gen.* colligitur. *Diodorus* monstrum illud hominis *Typhona* vocat (i. e. Viperinæ mentis virum ab אפע vipera, præmisso ת servili.) ac lib. 1. scribit: νομίμως βασιλεύοντα τῆς Αἰγύπτου τὸν Ὄσιριν ὑπὸ Τυφῶνος ἀναιρεθῆναι τοῦ ἀδελφοῦ, βιαίου καὶ ἀσεβοῦς ὄντος. ὃν διελόντα τὸ σῶμα τοῦ φονευθέντος εἰς ἓξ καὶ εἴκοσι μέρη, δοῦναι τῶν συνεπιθεμένων ἑκάστῳ μερίδα, βουλόμενον πάντας μεταλαβεῖν τοῦ μύσους, καὶ διὰ τούτου νομίζοντα συναγωνιστὰς ἕξειν καὶ φύλακας τῆς βασιλείας βεβαίους. *legitimè imperantem Ægypto Osiridem à Typhone fratre sublatum, violento atque impio. Qui dissecto occisi corpore in XXVI. partes, dederit singulis sociorum unam; volens omnes participare scelus, ac propterea existimans habiturum se commilitones ac custodes regni validos.* Quod deinde ad centum illos *Argi* oculos attinet, de quibus *Ovidius* ait: Cen-

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inde suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera servabant, atque in statione manebant.

Credibile est, *Typhona* celebre *Osiridis* ab sese enecti nomen sibi sumpsisse: quod cùm, *Diodoro l. 1. sect. 1.* auctore, πολυόφθαλμον *Græcis* designaret, ansam fabulæ præbere poterat, de centum *Argi* oculis. Sed tamen non abs re eò retulerimus appellationem נמרד *Nimrod*: quam ortam arbitramur participiis נם & רד quorum illud à verbo נום dormitare, hoc à רוד dominari, descendit: q. d. dormitans dominans. Ac convenit quidem derivationi huic non malè cum eo, quod de *Taauto* (i. e. *Mercurio Theut*, qui *Argum* necarat & ob id *Cicerone* testante *Ægypto* præficiebatur,) refert *Sanchoniathon* apud *Eusebium* Præpar. Evang. *lib. 1. c. 10. Saturnum* cum in meridiem venisset, *Taautum* deum *Ægypti* universæ regem creasse: illique eum insignia regni dedisse quatuor oculos, quorum bina erant clausa binis apertis: quòd is κοιμώμενος ἔβλεπε, καὶ ἐγρηγορὼς ἐκοιμᾶτο, dormitans cernebat, & vigil dormiebat. Ut autem de *Argi* i. e. *Typhonis* cæde constet, audiendus *Diodorus* qui *l. c.* refert: τὴν δὲ Ισιν ἀδελφὴν οὖσαν Οσίριδος καὶ γυναῖκα, μετελθεῖν τὸν φόνον, συναγωνιζομένου τοῦ παιδὸς αὐτῆς Ωρου. ἀνελοῦσαν δὲ τὸν Τυφῶνα καὶ τοὺς συμπράξαντας, βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου. *Isidem, quæ soror ac conjux Osiridos erat, ultam necem ejus; una militante filio ejus Oro. Cùm igitur sustulisset Typhonem eosque qui cum ipso faciebant, regnasse (eam) in Ægypto.* Quæ verba *Diodori* ut congruant cum historia *Argi*, hoc modo sive immutanda sive emendanda sunt: συναγωνιζομένου τοῦ παιδευτοῦ αὐτῆς Ερμοῦ, *unà militante præceptore ejus* (Isidis) *Hermete.* Qualiter lecta juvantur nonnihil ab his *Isidis* apud eundem *Diodor.* In Inscript. veter. Εγὼ Ισις εἰμὶ ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ερμοῦ. *Ego Isis sum Regina omnis regionis, instituta ab Hermete &c.* ubi vestigium comparet τοῦ δὲ τοῦ Ερμοῦ. Denique *Jovem*, qui filium *Mercurium* in *Argi* necem misit, *Chamum* esse, Cl. *Bocharti* ingenio scimus. Ergò jam sponte indefluit, quòd *Chanaan* fuerit ille *Mercurius Theut*, qui *Jovis* patris i. e. *Chami* jussu, *Argum* i. e. *Nimrodum*, filium *Inachi* i. e. *Noachi*, vel *Saturni*, *Jon* i. e. *Isidem* per tyrannicam vim tenentem, i. e. conjuge spoliatam regno ac libertate ejicientem, interfecit; ob eamque

D causam

causam à *Saturno* i. e. *Noacho*, *Ægypto* præfectus, i. e. Rex fuit datus &c.

CAP. XVI.

Solum Chanaanum fuisse è Chami filiis Phœnicium & Theutum, qui è Phœniciâ inventa sua Ægypto intulerit.

HOc de cæde *Argi* argumentum aliud nostri commodo parit. Quum enim *Chamo* plures fuerint filii, quorum aliquis secluso *Chanaano* facinus illud patrasse poterat videri; demonstrabimus nunc porrò soli *Chanaano* id adscribendum esse: quippe cùm solus ille *Phœniciæ* originis laude ad *Mercurium Theut* accedat. Quo equidem ipso & præcedentibus robur addemus, & novum pro asserenda *Chanaano Mercurii Theuti* appellatione fundamentum jaciemus. Itaque tenendum probè *Hermetem Theut*, qui *Argum* sustulit *Phœnicem* origine non *Ægyptium* extitisse; ac non semper, sed cæso demum *Argo* in *Ægypto* visum ac celebratum. Colligi id poterit tum è verbis *Ciceronis* sæpius adductis, tum ex eo quod *Sanchoniathon* vel potius ejus interpres *Philo* disertè illum facit *Phœnicem* vel certè *Phœnicum* conditorem, commemorando quòd feros is *Phœnicum* animos primus sapienti divini cultus (qui basis omnis Reipublicæ) institutione coalescere fecerit, Τάαυτος, inquiens, ὃν Αἰγύπτιοι Θωὺθ προσαγορεύουσι σοφίᾳ διενέγκων παρὰ τοῖς Φοίνιξι, πρῶτος τὰ κατὰ τὴν θεοσέβειαν ἐκ τῆς τῶν χυδαίων ἀπειρίας, εἰς ἐπιστημονικὴν ἐμπειρίαν διέταξεν. *Taautus, quem Ægyptii Thoot nuncupant, sapientiâ excellens apud Phœnicas, primus ea, quæ ad divinum cultum pertinent ex imperiti vulgi rudi deos colendi ratione in certam decentis scientiæ formam redegit.* Quæ de alio quam *Chanaano* dici non potuisse manifestum est. Ille siquidem est, non alter aliquis fratrum ejus, unde *Chananæi* i. e. *Phœnices* & genus trahant & nomen, & si quæ adhuc sunt, quæ in gentem à primo ejus conditore redundare bona possunt. Qualia præter religionis præcepta occurrunt apud *Phœnicas* literæ, artes humaniores, negotiatio, navigia, Chemia &c. quæ singula *Hermes Theut* i. e. conditor *Phœnicum Cha-*

naan

naan càm apud *Phœnicas* ſuos inveniſſet & excoluiſſet, in *Ægy-ptum* perveniens largâ quoque manu *Ægyptiis* prompſit. Quo tan-lem factum, ut depugnantibus quaſi ambobus populis invicem de-eliciori tantarum rerum uſu, dubitare orbis cœperit *Ægyptiis* ne-*Phœnices*, an his *Ægyptii* concedere, ac inventorum horum glo-iam intemeratam linquere deberent? Quam equidem nos *Phœni-ibus* adjudicandam cenſemus, ideò vel maximè, quod *Hermes Theut* ſive *Taautus*, cui illa omnia debentur, parens horum *Chanaan-*xtitit.

CAP. XVII.

Hermetem ob inventionem literarum, ſed & aliarum rerum, quæ Mercurio tribui vulgò ſolent eſſe Chanaanum.

SEd de potioribus *Hermetis Triſmegiſti* inventis agamus, poſt-quam quæ è genere, parente, ac patratis ejuſdem, noſtræ de *Germanorum* conditore opinioni ſtabiliendæ conducere viſa fuére, xpoſuimus. Hìc verò à fronte ſtant miranda illa mentem expri-endi elementa literæ. Quarum natale ſolum cùm univerſus ferè :rrarum orbis prædicet *Phœniciam*, ſuam eum decoxiſſe dixerim ationem, qui fidem iis demere non erubuerit, quibus & ob eam auſam conditor *Phœnicum Chanaan Hermes Theut* habetur. Cùm pſò vix meridie Sol clarius fulgeat, atque fulget illud, hominem, ui excogitatæ ab ſeſe alicujus rei laude terminos ferè humanæ ſor-s ſupergreſſus eſt, benè pro eo, quo parente gens excogitatâ illâ re-nclyta cœpit, venditari poſſe, præſertim ſi ætas inventoris ævo onditæ gentis reſpondeat, pluraque ſint præſtò, qui fidem rei fa-ant. Quomodo comparatum cum *Hermete* noſtro videmus eſſe, uem patre *Miſore* i. e. *Chamo* prognatum literas inveniſſe *San-choniathon* loco ſuperiùs adducto autor eſt, ajens: ἀπὸ Μισὼρ Τάαυ-τος, ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφὴν, ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὺτ .c. *A Miſore natus eſt Taautus, qui prima in ſcribendo elementa in-venit, quem Ægyptii Thoot* &c. Ubi quivis, num alium è *Chami* fi-

his *Chanaani* in locum substituere queat, dispiciat. Nobis in personâ *Chanaani* persistere fixum est: Cujus gens *Chananæa* sive *Phœnicum* literas, ut inquit *Curtius lib. 4.* prima aut docuit, aut didicit. Cæterùm quæ de *Phœnicio Taauto* hic diximus, ea de *Ægyptio* quoque *Hermete* confirmat *Diodorus Biblioth. lib. 1. cap. 16.* dum scribit: Τιμᾶσθαι δ' ὑπ' αὐτοῦ μάλιστα πάντων τὸν Ἑρμῆν, διαφόρῳ φύσει κεχορηγημένον (Euseb. κεχρημένον) πρὸς ἐπίνοιαν τῶν δυναμένων ὠφελῆσαι τὸν κοινὸν βίον. ὑπὸ γὰρ τούτου πρῶτον μὲν τήν τε κοινὴν διάλεκτον διαρθρωθῆναι, καὶ πολλὰ τῶν ἀνωνύμων τυχεῖν προσηγορίας, τήν τε εὕρεσιν τῶν γραμμάτων γενέσθαι. *Apud eum* (Osirim) *in maximo ante omnes honore fuit Hermes eximii ingenii perspicacitate in excogitandis vitæ humanæ commodis. Hic enim primus, ut ferunt, & communem loquelam articulatè distinxit, & multis rebus nomine destitutis nomen indidit, literasque invenit &c.* Hæc *Diodorus*. Quocum planè consentit *Plato* in *Philebo* dicens: Ἐπειδὴ φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν εἴτε τις θεὸς, εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος, ἐν Αἰγύπτῳ Θεῦθ τινὰ τοῦτον γενέσθαι λέγων, ὃς πρῶτος τὰ φωνήεντα ἐν τῷ ἀπείρῳ κατενόησεν, οὐχ ἓν ὄντα, ἀλλὰ πλείω· καὶ πάλιν ἕτερα, φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντά τινος. ἀριθμὸν δὲ τινα καὶ τούτων εἶναι. τρίτον δὲ εἶδος γραμμάτων διεστήσατο, τὰ νῦν λεγόμενα ἄφωνα ἡμῖν. τὸ μετὰ τοῦτο διῄρει τά τε ἄφθογγα καὶ ἄφωνα, μέχρις ἑνὸς ἑκάστου, καὶ τὰ φωνήεντα καὶ τὰ μέσα, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον· ἕως αὐτῶν ἀριθμὸν λαβὼν, ἑνί τε ἑκάστῳ καὶ ξύμπασι στοιχεῖον ἐπωνόμασε. καθορῶν δὲ ὡς οὐδεὶς ἡμῶν οὐδ' ἂν ἓν αὐτὸ καθ' αὐτὸ ἄνευ πάντων αὐτῶν μάθοι, τοῦτον τὸν δεσμὸν αὖ λογισάμενος, ὡς ὄντα ἕνα, καὶ ταῦτα πάντα ἕν πως ποιοῦντα, μίαν ἐπ' αὐτοῖς ὡς οὖσαν γραμματικὴν τέχνην ἐπεφθέγξατο προσειπών. *Postquam infinitam vocem cogitavit, sive Deus aliquis, sive homo divinus, qualis apud Ægyptios Theut quidam fuisse fertur, qui primas in ipsa vocis infinitate vocales literas consideravit, quæ non una sed plures sunt, rursumque alias, quæ non vocis, sed soni participes essent, atque harum numerum certum similiter definivit: tertiam deinde speciem literarum distinxit, earum quas nunc mutas vocamus, postremò soni expertes mutasque discrevit, usque singula quædam, vocalesque & medias eodem modo, donec earum numero in singulis speciebus, & in universis reperto elementa vocavit. Cumque videret, neminem nostrum, horum quicquam seorsim percepturum, nisi universa percepisset, hoc velut vinculum,*

ilum, unam quiddam existens, & in unum dispersa redigens medi-itus, quum unam in his esse artem Grammaticen animadvertit, no mine appellavit. Quæ omnia gentiles quoque de suo alato *Mer-urio* credi voluisse, unus *Horatius* lib. 1. *Carm. od.* 10. satis signi-cat, canens:

Mercuri facunde nepos Atlantis
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus & decora
more palæstræ.

e palæstra quod ait, magis è *Diodoro* liquet. Ejus enim invento-m is *Hermetem Ægyptiorum* facit l. c. inquiens, *Hermetem καὶ παλαίστρας εὑρετὴν ὑπάρξαι, palæstræ etiam inventorem esse.* Et plu-. ibi & in aliis scriptoribus obvia sunt, quæ & de *Mercurio* gen-ium alato, & de *Hermete Theut* dicta, utrumque eundem esse arè monstrant, v. gr. inventio Lyræ, Musicæ, Geometriæ, Astro-omiæ, Poëseos, Oratoriæ, Plastices &c. Alatum autem *Mercu-ium* esse *Chanaanum* jamdudum evicit in erudito suo *Geograph. S. om.* 1. *Phaleg. lib.* 1. *c.* 2. eruditissimus *Bochartus.* Cujus ratio-s si justo stant talo, uti stare eas scimus, ingens ad ea quæ hacte-is pro *Chanaano Hermete Trismegisto* attulimus, cumulus acce-it necesse est.

CAP. XVIII.

hanaanum Chemiæ, cujus initia immeritò & per errorem in malos genios referuntur, inventorem, atque adeò Hermetem videri Trismegistum, Chemicorum parentem.

Uperiùs, cum de *Ægypti* nomine Chemia è *Plutarcho* dicere-mus, ostendimus famosam illam artem, quæ ut Cl. *Conring. lib.* · *Herm. Med. c.* 3. ait, viliorum Metallorum lapidumque in me-is commutationem pollicetur, Chemiam ad *Ægypti* appellatio-m, dictam. Eam verò ab *Hermete Ægyptiorum Trismegisto* ofectam tantùm non lippis & tonsoribus fama persuasit hodie.

Quâ de re anxiùs disquirere jam non sustinemus; maximè quum *Hermetem* augusta inventoris Chemiæ sede Viri insignis *Conringii* eloquentiâ ferè motum videamus, l. c. Illud in præsenti hîc tractari nec argumentum nec scopus scriptionis nostræ vetat, *Chanaano* nostro eâdem licentiâ, quâ vulgo *Hermeti Trismegisto*, inventionem Chemiæ τῆς χρυσοποιητικῆς tribui posse.. Quandoquidem posteri ipsius, *Chananæi* sive *Phœnicos*, cumprimis *Tyrii* artem eam calluisse videantur; eaque immensas sibi opes acquisivisse. Quibus quum nimium abuterentur ac confiderent, offensus DEUS enormi fastu, dira quæque iisdem minatus sit per *Ezechielem cap. XXIIX.* qui *v.* 3. *&* 4. *Tyri* Regem jactabundum ita loqui secum consuevisse ait: *Ecce Sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te. In sapientia tua & in intelligentia tua* עשית לך חיל fecisti tibi divitias. ותעש זהב וכסף באוצרתיך; i. e: si ad literam interpreteris: *Et fecisti aurum & argentum in thesauros tuos.* Ubi de χρυσοποιητικῇ & ἀργυροποιητικῇ sermonem esse negari fermè nequit. Et sanè Chemicorum plurimi verba hæc ad abstrusam suam trahunt artem: Quos inter eminet Illustris *Trevisanæ* Marcæ Comes *Bernhardus*, is quem VERIDICIUM vocare solent; cujus verba è *part.* 1. libelli *de Lap. Philos.* adscribemus, sed *Germanica* ea, ut edita à D. *Toxita.* Uber das alles/ inquit, noch ferner zu beweisen/ und darzuthun/ daß solche Kunst nicht allein wahr/ sondern auch/ daß sie wider GOtt (so man sie nicht mißbraucht) nicht ist. So wird bey dem Propheten Ezechiel der Fürst Tyri nicht derhalben gestrafft/ daß er solche Kunst treib/ und wegen derselben seiner Unterthanen mit Beschwehrung oder Schatzung schonete/ sondern/ daß er sich so weis hielte/ dieweil er Gold und Silber/ so vil ihm noth/ selber machen konte/ daß er sich Gott gleich zuseyn vermeint. Straffet also der Prophet an ihm den abusum und nicht den rechten usum &c. Nec planè de nihilo est, quod Chemia ars ea à nomine *Chami* parentis *Chanaani* dicta fuit. Vocabulum verò illud (ut de eo obiter aliqua dicamus.) Quâ appellatione τὴν χρυσοποιητικὴν antiquitùs citra dedecus gavisam verisimile est: etsi postea ruentibus paulatim in deterius hominum animis, & nomen illud, sive nequitiâ Pseudo-Chemicorum, sive Calumniæ detestandæ malignitate Magiæ Diabolicæ cesserit, & Chemia veneficii postulata, impla-

ılacabile apud plerosque odium incurrerit; eos maximè, qui, quum ecretorum ejusmodi incapaces planè existant, aut DEO ingredi vetante, à penetrali Divæ hujus prorsus arceantur, turgentes fastu ac protervià plaustra convitiorum in sacratissimam Philosophiæ naturalis partem, ejusque cultores nullo discrimine ejaculantur: Quasi malignis Spiritibus Chemiam prisci homines edocti fuerint, ac fortassis hodie nonnulli edoceantur. Quibus equidem Calumniæ immanibus pullis gratum faciemus in præsenti, subministraturi fuori eorundem locum quendam è vetustissimo quodam scriptore Chemico, unde, immane quantum! robur sententia de malignis Spiritibus Chemiæ inventoribus capiat, scilicet. Est is *Zosimi* illius Panopolitani magni, Chemicorum ferè principis; ac suppeditatus nobis è Cl. *Scaligeri* Notis ad Græca *Eusebiana*, à Viro incomparabili *H. Conringio*, (de cujus aliquibus in Chemiam *Hermeticam* inclementer dictis, ac Censura Chemicorum, non est quòd tantopere homines quidam nauci sibi gratulentur, cum absque grano salis ea sumi ab insulsis, nec Clarissimus ille Vir velit, nec quisquam reliquorum, qui salem habent.) Ita verò scribit *Zosimus*: ἀσκουσιν αἱ ἱεραὶ γραφαὶ ἤτοι βίβλοι, ὦ γύναι, ὅτι ἐστί τι δαιμόνων γένος ὃ χρῆται γυναιξίν. Ἐμνημόνευσε καὶ Ἑρμῆς ἐν τοῖς Φυσικοῖς καὶ σχεδὸν ἅπας λόγος φανερὸς καὶ ἀπόκρυφος τοῦτο ἐμνημόνευσε. Τοῦτο οὖν ἔφασαν ἀρχαῖαι καὶ θεῖαι γραφαί, ὅτι ἄγγελοι ἐπεθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ κατελθόντες ἐδίδαξαν αὐτὰς πάντα τὰ τῆς φύσεως ἔργα. ὧν χάριν προσκρούσαντες ἔξω τοῦ οὐρανοῦ ἔμειναν, ὅτι πάντα τὰ πονηρὰ καὶ μηδὲν ὠφελοῦντα τὴν ψυχὴν ἐδίδαξαν τοὺς ἀνθρώπους. ἐξ αὐτῶν φάσκουσιν αἱ αὐταὶ γραφαὶ καὶ τοὺς Γίγαντας γεγενῆσθαι. ἔστιν οὖν αὐτῶν ἡ πρώτη παράδοσις ΧΗΜᾺ περὶ τούτων τῶν τεχνῶν· ἐκάλεσαν δὲ ταύτην τὴν βίβλον ΧΗΜᾺ· ἔνθεν καὶ τέχνη ΧΗΜΙΑ καλεῖται. i. e. *Ajunt Sacræ Scripturæ vel libri, ô Mulier, esse aliquod dæmonum genus, quod utitur mulieribus. Meminit etiam Hermes in Physicis. & ferè omnis doctrina cum manifesta tum* ἀπόκρυφη *illud memorat. Hoc itaque dicunt veteres & divinæ scripturæ; quod angeli concupierint mulieres, & advenientes docuerint illas omnia naturæ opera. Hinc incursa offensione extra cœlum manserunt, quod omnia mala, quæque animam nihil juvant homines docuissent. Ex illis & Gigantes natos narrant eædem Scripturæ. Est itaque eorum prima traditio* ΧΗΜᾺ *de his artibus. Appella-*

pellarunt autem illum librum ΧΗΜΑ'. *Hinc etiam ipsa ars Chemia vocatur.* Hactenus *Zosimi* locus. De quo in transcursu monemus, videri eundem in fine emendandum; ac pro, ἐκάλεσαν δὲ πάντων τὴν βίβλον ΧΗΜΑ', legendum, ἐκάλεσαν δὲ πάντων τὴν (i. e. παράδοσιν) βίβλοι ΧΗΜΑ'. *Vocarunt verò hanc ipsam* (traditionem) *libri Chema.* Quid per βίβλους intelligat *Zosimus*, è principio loci patet, nimirum ἱερὰς γραφὰς, *Sacram Scripturam*, die Bibel. Quam aliquoties testem opinionis suæ laudavit, obtuitus præcipuè *caput VI. Genes.* ubi filiorum DEI, qui cum filiabus hominum soliti, iisque prognatorum gigantum fit mentio; Quod ille ad angelos cum mulieribus congressos &c. refert, secutus Patres aliquos Ecclesiæ magni nominis *Tertullianum, Lactantium, Eusebium &c.* Quod autem de traditione & arte Chema ait, hausit fortasse è verbis *Mosis Genes. c. VI, 2. Viderunt filii DEI filias hominum, quod venustæ essent:* ויקחו להם נשים מכל אשר בחרו: i. e. *& acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Quæ facilè, per errorem ה in ח mutato, ita legi possunt: &c. ויקחו לחם נשים ut sensus fiat: *Et acceperunt Chama uxores ex omnibus quos elegerant.* i. e. & addidicerunt sive παρέδοσαν acceperunt uxores illæ filiorum DEI Chama artem, quæque ab illo quem sibi amasium elegerat. Et verò verba *Mosis* ita perperam lecta conveniunt prorsus cum verbis *Zosimi.* Constructionem autem vocum *Ebraicarum* benè sese habere norunt harum literarum periti; & suppetunt exempla verbi לקח cum ל constructi. v. gr. cum *Jerem. XL*, 2. dicitur: ויקח רב־טבחים לירמיהו: *Et accepit præfectus satellitum Jeremiam.* Illud verò verbum pro addiscere sumi posse, vel inde cui pateat, quòd descendens ab eo nomen לקח disciplinam, doctrinamve denotat, quæ perceptione addiscitur. E curiositate quoque Judæorum, quâ Sanctum Thorah sive Pentateuchum descripturi, in perforatâ membrana (Cl. *Sim. de Muis, Tripl. Assert. Verit. Ebr. Oper. Tom. II, p. m. 141.* teste) non scribunt, putâ ne ה pro ח formetur, non clauso hiatu aut meatu, si fortè inciderit in membranæ foramen ea ח literæ pars, quâ ab ה differt, quod claudatur obstruaturque, colligere est, non rarò olim contigisse ut loco ה litera ח, & vice versa loco ח litera ה, à minus cautis substitueretur. Sed inviti penè huc delapsi sumus: Id superius volebamus, *Chanaanum* posse pro inventore Chemiæ ac

Her-

Hermete Trismegisto haberi, eò quod *Chananæi* eam excoluisse videantur. Cui rei virium nonnihil adfert persona *Cadmi*, quem filium aut nepotem *Chananæi* fuisse inferius probabimus; de quo *Plinius* Nat. Hist. *lib. 7. cap. 56.* inquit: *Auri metalla & conflaturam* (invenit) *Cadmus Phœnix ad Pangæum montem.* Quæ quur ad Chemicam artem trahenda non sint, equidem non video. Adhæc cum *Chanaan* Cl. *Bocharto* autore *Mercurius* sit, *Mercurius* verò Vellus aureum in *Colchide*, attactu suo aureum effecisse legatur apud Scholiast. *Apollonii Rhod.* ad verba Argonaut. l. II.

—— —— τὸν ῥα χρύσειον ἔθηκεν
Ἑρμείας. —— —— ——
—— —— *hunc utique aureum constituit*
Mercurius. —— ——

notantem: λέγεται γὰρ τῇ τοῦ Ἑρμοῦ ἐπαφῇ τὸ δέρος γενέσθαι χρυσοῦν. *Dicitur enim Mercurii attactu vellus illud factum esse aureum.* Velleris autem aurei nomine librum quendam membraneum de ratione conficiendi arte Chemicâ aurum indigitaverint veteres; testante id cumprimis *Suida* scribente: Τοῦτο δὲ οὐχ ὡς ποιητικῶς φέρεται, ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν· εἰκότως οὖν τότε χρυσοῦν ὠνόμαζον αὐτὸ δέρας. *Illud verò* (vellus) *non, quemadmodum poëticè fertur, sed libellus erat in corio scriptus, continens, quâ ratione oporteat fieri arte Chemicâ aurum.* Rectè igitur olim aureum nominabant illud vellus. Quis jure *Chanaano* nostro, titulum parentis Chemicorum ambienti, negaverit? Quis deinde *Hermetis* eum nomine indignum pronunciare ausit? [Hujus capitis Conjectanea aliter concipienda Author secunda manu monuit: quod citra dubium faciendum est circa lectionem & explicationem verbi להם *Genes. 6.*]

CAP. XIX.

De nominibus Hermetis; ac primò appellatione Mercurii. Eamque idem valere quod vocabulum Chanaan.

AT quid, inquies, fiet de nominibus *Chanaan*, *Hermes*, *Theut*, *Mercurius &c.* & quei uni tot tamque diversæ appellationes im-

impositæ à veteribus, significatu ut videtur planè non congruente? Ajo, novum idque validissimum nobis in nominibus constitutum præsidium, tantum abest, ut quicquam inde, quod obicem sententiæ nostræ ponat, resultet. Quæ ut nobis credere alii queant, de singulis nominibus seorsim aliqua dicemus, collaturi postmodum ea invicem bonâ fide. Ac ut initium rei fiat à nomine *Mercurius*, sunt equidem de eodem varia variorum judicia. Veterum quidam, quos inter & *Arnobius Mercurium* dictum volunt, quasi *Medicurrium*, quòd sermo, cujus ipse DEUS habebatur, medius inter homines currat Mercurius à רכל mercator. מרכולת Mercatus. Alii ut *Festus* & *Isidorus* à mercibus ei nomen formant; Festus quidem *Mercurius* inquiens, à mercibus est dictus, hunc etenim negotiorum omnium existimabant esse deum. *Isidorus* verò dum cum *Fulgentio* libr. 1. Mythol. *Mercurium* vocatum autumat quasi *Mercium curam*. Vide cap. 9. lib. 2. Antiq. *Rosini*. Vir sæpius laudatus *H. Conring*. probabili conjectura vocem *Mercurius* deductam velit ab *Ebræo* vocabulo מרגמה quo *Salomon* usus *Proverb. XXVI, 8.* aut à voce מרקולים quâ Rabbini illud reddere solent. Scribit enim *lib. de Hermet. Medic. c. 7. Verosimilius dixeris, Margemah, cujus meminit Salomon, aut Merkolim Hebræorum, esse Mercurium, & ab origine aliqua ejusmodi ortam Mercurii vocem. Convenit enim cum Mercurii sacris, quod in honorem Margemah aut Merkolis projecti fuerint à viatoribus lapides, perinde ut factum apud Græcos & Latinos in honorem Mercurii. Hinc proverbium Hebræorum: Spargit lapidem in Merkolis, & Proverbior. sacror. XXVI, 8. dicitur: Sicut qui mittit lapidem in acervum Margemah, ita qui tribuit insipienti honorem.* Hæc *Conringius*. Ego verò, pace tanti viri, sic censeo, Rabbinicum מרקולים potius à nomine *Mercurius* derivandum; quippe quod multis annis, dixerim penè seculis ante inclaruisse constat, quàm Talmudistæ ac מפרשים sive Commentatores super Biblia, (apud quos vox illa מרקולים occurrit,) inter Judæos celebrati. Quod autem locum è Proverbiis *Salomonis* concernit, nondum evictum est, vocabulo מרגמה acervum *Mercurii* denotari, quanquam Viris aliquibus doctis id sic reddendum videatur. Obducente enim mihi horum aliquo Talmudistas, aliosve S. literarum interpretes Rabbinos, *Margemah* pro acervo lapidum

Mer-

Mercurii habentes: ego ſtatim in partes meas vocabo non plurinos modo inſignis notæ Rabbinos, *Aben Ezram*, *Kimchium*, *R. Levi*, *R. Joſeph*, *R. Immanuel* &c. ab iis diſſidentes: ſed *Chaldaicum* tiam paraphraſten, at quantum virum! qui verba *Salomonis* כצרור אבן במרגמו ſcitè interpretatur היך נקצא דטסא בקלעא *ſicut fragmentum bracteæ in funda*. LXX. inſuper Interpretes qui eddunt: ὡς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ. qui alligat lapidem in funda. Viros præterea *Ebraicam* Linguam ſolidè doctos, *Fr. Vatablum*, qui vertit: *ac qui lapidem in funda ligat*. Cl. *Buxtorf.* cujus æc eſt expoſitio: *ligare lapidem in baliſta* i. e. Sicut aliquis lapidem alligat vel applicat baliſtæ &c. vid. ejus Lex. r. רגם B. denique *Lutherum*, qui reddit: **als wenn einer einen edlen Stein auff en Rabenſtein würffe.** Alios ex inſtituto ſileo. Quibus omnibus uur מדרש *Medraſch.* ſive gloſſam Talmudiſtarum, locum ſic xplicantium: כל מי שחלק כבוד לכסיל כזורק אבן מרקולים; *Omnis qui tribuit bonorem ſtulto, eſt ſicut projiciens lapidem ad Markolis.* præferre debeam, cauſam non video. (inſeratur derivatio רכל.) Malo igitur *Feſti* aliorumque veſtigia in origine vocis *Mercurii* indaganda legere, & à mercibus, ut certè veriſimilius eſt, eum mercatorum nomine hoc inſignire, quàm Rabbinos apertè ic vanos ſequi. Et tantum de appellatione *Mercurii*: quæ ſic penitus eadem eſt cum nomine כנען i. e. mercator, negotiator.

CAP. XX.

Hermetis nomen non Græcum, ſed Ægyptiacum aut potius Phœnicium eſſe, reſpondens epitheto Chanaani Arur i. e. maledictus.

SUccedit nunc alterum *Mercurii* nomen *Hermes*, ſive ut *Græci* ſcribunt ἑρμῆς. *Græcum* id eſſe ſtatuunt plerique tam veterum uàm recentiorum. Sufficiat ex illis produxiſſe *Diodorum*, qui *Bibl.* 1. *p. m.* 10. de inventis *Hermetis* locutus, inquit, τοὺς Ἕλληνας διδάξαι τοῦτον τὰ περὶ ἑρμηνείαν, ὑπὲρ ὧν Ἑρμῆν αὐτὸν ὠνομάσθαι. *Græcos ocuiſſe illum ea quæ ad elocutionem pertinent, & ob id Hermetem um nominatum.* Ex his verò Cl. *Conringium*, *lib. de Herm. Med.*

 c. 7.

c. 7. dicentem: Apud *Græcos*, non apud *Ægyptios* nata vox Ἑρμῆς, descendens videlicet ab Ἑρῶ dico. Nos salvis aliorum placitis, aliunde nomen illud formandum arbitramur. Quamvis enim largiamur *Græcis* solenne fuisse *Mercurium* vocare ἑρμῆν: attamen vehementer dubitamus, vocem eam origine *Græcam* extitisse; inprimis quod sciamus sexcenta occurrere vocabula, quæ *Græciam* agnoscere matrem oculatissimus juret *Aristarchus*, cùm interim nihil sint minus quàm *Græca*. Qui aliquot cohortes ejus generis dictionum locis, regionibus, hominibus, diis, deabus in *Græcia* propriarum desiderat, adeat Cl. *Bochartum Geograph. Sacræ* opere: Cujus insignis industria ardori Philologi ejusmodi abunde, sat scio, respondebit. Quænam verò tam urgens nos cogat necessitas, somnia unius alteriusve *Græcorum* scriptorum etymon *Hermetis* constituentium, amplecti? Dico somnia. Quam puerilibus enim ac non rarò absurdis etymologiis ludant præstantissimi etiam *Græcorum*, si quando nomen aliquod proprium enucleandum ipsis, in aprico est, & omnium emunctioris naris virorum confessione notum. Ac licet Cl. *Conringius* apud *Ægyptios* vocem ἑρμῆς natam neget, ego tamen illo ipso Viro Clariss. Doctore didici: *Mosen* ab *Ægyptiis* Ἑρμῆν dictum *Artapanum* veterem esse auctorem. Et verò *Artapani* apud *Eusebium* προπαρ. *lib. 9. c. 21.* hæc sunt verba: διὰ ταῦτα οὖν τὸν Μώυσον ὑπὸ τῶν ὄχλων ἀγαπηθῆναι καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων ἰσοθέου τιμῆς καταξιωθέντα προσαγορευθῆναι Ἑρμῆν διὰ τὴν τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἑρμηνείαν. *Propterea igitur* (quod tam multa in Ægyptios contulisset beneficia) *Mosen populo fuisse adamatum, & à sacerdotibus honore ad divinum accedente mactatum, appellatumque* ἑρμῆν, *ob sacrarum literarum interpretationem.* Quæ ultima verba διὰ τὴν τῶν ἱερῶν γρ. ἑρμ. glossema esse, & à manu vel *Eusebii*, vel *Alexandri* polyhistoris, vel alius alicujus, non suspicor sed prorsum statuo, affirmaturosque id una mecum spero omnes, qui nihil *Ægyptiis* priscis, suæ linguæ non *Græcanicæ* studiosis cum *Græca* voce ἑρμήνεια fuisse vel esse potuisse rei consideraverint. *Artapanus* verò dum *Mosen* ab *Ægyptiis Hermetem* id est alterum *Hermetem* cognominatum ait, clarè unà innuit, primum illum, quique omnium de *Ægyptiis* meritus sit optimè, *Hermetem* nomen illud suum non inter *Græcos* sed *Ægyptios*, aut quod verisimilius, *Phœnicum*

icas natum esse. Quare, cùm nos plurimis indiciis clarum effe-erimus, quod *Hermes* noster ipse *Chanaan* fuerit, in verum non-imus peccaturi, si ideò, quod *Chanaan Gen. IX, 25.* ארור maledictus sive anathema dicitur, vocem *Hermes*, Græcè ἑρμῆς, ex *Ebræo* חרם i. e. anathema ducamus. q. d. der Verfluchte. Facit huc & lud, quod à חרם descendere videmus dictionem חרום i. e. mulus, curtus membris. *Mercurius* enim ob id ipsum *Cyllenius* au-it. Appello fidem *Servii* Grammatici, notantis *ad v. 137. lib. 8. Æneid. Virgil. Mercurium cum in monte dormientem invenissent, anus ei amputaverunt, unde & ipse Cyllenius & mons dicuntur imque Græci κυλλὸς aliqua mutilatos parte corporis dicunt.* Idem *ervius* pulchrè in rem nostram addit: *Unde etiam Hermos voca-us quosdam stimulos in modum signorum sine manibus;* apertè di-tum ad nostrum חרום intendens, unaque ad vulgatum *Mercurii* omen *Hermes*, quod eâdem cum illo radice ortum, diximus re-ondere voci ארור, quâ sanctissimus *Moses* de *Chanaano* usus est.

CAP. XXI.

hanaano servo servorum convenire Mercurij nomen Hetruscum Camillus i. e. minister: quô Martem quidam, non satis firmiter, Camulum dici volunt.

Dem *Chanaan* eodem loco עֶבֶד עֲבָדִים vocatur, i. e. servus ser-vorum in fratribus suis. Quo nihil equidem dici potest, quod *Iercurio Chanaanum* magis adjungat. *Mercurius* enim, quod mo temerè ignorat, est servus ille servorum inter omnes deos. nc aspera etiam illa verba sunt, quibus *Majam* matrem apud *ician.* Dialog. *Merc.* & *Maj.* obtundit, seriò conquestus, quod teriores etiam conditionis atque originis diis à ministeriis cogatur :. Initium Dialogi est: Ἔστι γάρ ὦ μῆτερ, ἐν οὐρανῷ θεὸς ἀθλιώτερος ; *Estne verò ô mater in cœlo deus me magis miser &c.* Atque eandem causam *Hetrusci* veteres *Mercurium* ut viri docti obser-runt, vocavere *Camillum*. *Camillum* enim veteres ministrum di-

 xisse,

xisse, *Varro* autor est, scribens *lib. 6. de L. L. Igitur dicitur in nuptiis Camillus* (sive *Casmillus*) *qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio, plerique extrinsecus nesciunt.* depravato ita me Musæ ament, loco; quem me correctore melius ita leges: *Igit. d. in nupt. Cam. s. Casm. à ministerio, qui cum. fert, in q. q. sit, plerique* &c. Item *Festus*, qui de *Flaminiis* ait: *Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus patrimus & matrimus, qui flamini Diali ad sacrificia præministrabat. Antiqui enim ministros Camillos dicebant &c.* Unde *Plutarchus* in *Numâ*, *Græcorum* nonnullos *Mercurium* à ministerio *Camillum* vocitasse, testatus est. Quibus sic se habentibus, locum non invenerit conjectura Cl. *Bernhardini Baldi*, qui vocem *Casmilus* i. e. *Camillus* à קסם divinavit & אל deus derivat, *Divinat. in Tab. Eugub. Hetrusc.* scribens: *Camillus à Casam auguratus est, interpretatus est; & affixa voce el, Deus. Cosmel Dei augur, vel interpres. Quod enim juniores dixere Camillum, Casmilum seniores.* Non, inquam, invenerit conjectura ejus locum. nec mirum, quum nondum satis constet, num *Hetrusci* antiqui nomen *Mercurii* scripserint hoc modo: ⅃IMƧAK *Kasmil*; anne verò sic: ⅃⅃IMAK *Kamill?* aut fortasse ita, ⅃IMAↄ *Camil?* Posteriorem hanc scriptionem probare videntur Viri Clari; Qui ea quoque ex causâ nomen aut cognomen potiùs *Martis*, *Camulus*, interpretari solent, minister, ut egregiè notat Cl. *Opitius*, Vir ornamento *Germaniæ* atque universæ humanitatis in hanc lucem editus, *Not. ad vers. 838.* des Lobs deß Kriegs-Gottes/

ô Camul/ ô gradiv/ ô Mars/ du Mauerbrecher!

Ubi ait: Also wird Mars in Sabinischer Sprache genannt in einer alten Römischen Inscription/ wie Diana Ardoinne; als aus jhren Bildnissen so darunter gehauen sollen stehen/ abzunehmen ist. So wird auch in einer andern gelesen:

CAMULO. SANC
FORTISS.

Und widerumb zu Cleve:

MARTI. CAMULO

Das ist vermuthlich: MARTI dem Diener/ oder dem Dienstbaren/

en/ wie von gelehrten Leuten aus den Orientalischen Sprachen uffgemercket ist worden. Hæc *Opitius.* Quorum occasione non ossumus non notare, videri nomen hoc *Martis*, CAMILLUS di-ersum ab illo *Mercurii* CAMILLUS aut CASMILUS; & ix ac ne vix quidem ministri significatum sustinere: sed cognatio-e potius sponte accedere ad dictionem אלקום *Alkum*, quam Di-us Rex *Ebræorum Salomon* Proverb. *cap. 30. v. 31.* adhibet, di-ens, interprete *Vatablo: Hæc tria benè incedunt, & quartum bellè cedit. Leo qui heros est inter beluas, nec à cujusquam conspectu git. Canis venaticus, Aries*; ומלך אלקום עמו & *Rex alcum.* inc vocem si leviter transpositis literis immutes, efficies planè קאמו *Kamul.* Sed quid, dices, illud אלקום denotabit, ad *Mar-m* quod spectet? Dico idem esse ac si *Martem* vocaveris invictum. uod mihi testabitur Cl. *Buxtorfius*, qui disertè hanc dictionem esignare ait invictum, in quem, vel contra quem nemo insurgit ellandi causa; ut *AbenEsra* & Rab. *Levi* interpretantur. Non me erò latet, doctissimum *Eduard. Pocokium Anglum* Specim. Arab. istor. illud אלקום pro *Arabico* القوم *Alkevmon* i. e. populus. abere; quatenus *p. 203.* inquit: *Si eam quam sumunt sibi non solùm abbini, sed & Christiani Doctores, textum Hebr. sæpè ex Ara-smo explicandi libertatem hic nobis indulgere liceat, forsan & n malè illud censebitur, quod Prov. c. 30. v. 31. occurrit, ubi in-r ea, quæ optimi sunt incessus numeratur* מלך אלקום עמו *quæ erba si dictionem* אלקום *ex Arabum dialecto mutuatam putemus, sit idem quod* القوم *sonabunt, Rex cum quo populus est, vel, em sequitur populus suus.* Ita Cl. *Pocokius.* Structura tamen ver-orum *Ebraicorum* sed & alia tantùm apud me posse fateor, ut cer-m mihi sit, expositionem Cl. *Buxtorfii Pocokianæ* præferre. Quæ obiter de nomine *Martis* dicta sunto, occasione appellationis *Hetruscæ Mercurii* nostri *Camilli* i. e. servi deorum.

CAP.

CAP. XXII.

De Hermetis nomine Theut, an illud sit à Schaddai. & qualiter illud Græcum Trismegistus exprimat; & an hoc rectè derivetur in Tabula Smaragdina?

DE appellatione *Mercurii Trismegisti Theut* agendum nunc esse ordo monet, & præfixa nobis meta; ad quam quò felicius ea quæ hactenus proposuimus colliment, monemus, nomen illud *Mercurii Phœnices* habere auctores, ab iisque demum ad *Ægyptios* permanasse. Constat de hoc è *Sanchoniathonis* verbis, *cap. xi.* laudatis, quæ confer sis cum *capite xvi.* Rudera ergò *Phœniciæ* Linguæ curioso oculo lustrantes in *Ebraicis* dictionibus, deprehendimus vocem examussim *Taauti* vocabulo congruentem. Est illa nomen sive cognomen DEI Ter Maximi, שדי *Schaddai*, compositum è præfixo ש i. e. qui, quæ, quod & nomine די *Dai*, sufficientia; ut censent Rabbinorum plurimi: qui ob id quoque in suo *Talmud* scriptum reliquerunt: מאי דכתים אני אל שדי אני הוא שאמרתי לעולם די: *Quid est, quod scriptum est, Ego sum DEUS Schaddai? Ego sum, qui dixi: In æternum sufficiens sum.* Vide Cl. *Buxtorf.* rad. די. Ubi scitè vocem hanc שדו reddit: *Omnipotens*, i. e. qui sufficiens, qui in se & à se sufficientiam & abundantiam omnimodam habet, ita ut nullius ope egeat, sed in se sufficiens sit ad opem conferendum omnibus, ad protegendum, ad promissa servanda & explendos defectus omnium. Quocum idem dicunt B. *Lutherus*, verba אני אל שדי *Gen. xvii, 1.* vertens: Ich bin der Allmächtige GOtt. Et *Fr. Vatablus*, qui eadem reddit: *Ego sum El Schaddai*, i. e. DEUS omnipotens, à quo omnis sufficientia, cui nihil deest (de inventione literarum vide Cœlum Orientis) Accedit quoque ad hanc expositionem *Syriaco-Arabicus Lexicographus* Cl. *Joann. Henr. Hottingeri*, *Isa* sive *Jeschu Bar-Ali*, qui teste eodem *Hottingero* Analect. *Dissert. 3. th. 8. pag. 108.* nostrum *El Schaddai*, quod *Syrus* interpres l. c. invariatum retinuit, ita *Syriacè* explicat:

ܠܠܗܘܐ

ܐܠܗܐ ܕܡܘܠܟܢܐ ܐܘ ܐܠܗܐ ܚܝܠܬܢܐ ܐܘ
ܐܠܗܐ ܕܫܡܝܐ ܀

i. e. *(El Schaddai)* eſt Deus promiſſionum, aut Deus fortis aut Deus cœlorum. Qui tamen in eo fallitur, quod vocem שדי ob ſoni aliquam convenientiam, dictione *Syriaca* ܡܘܠܟܢܐ i. e. promiſſio, permutat: niſi caſu id interpretaturo eveniſſe dicamus. Plura de hoc vocabulo non addimus. Illud verò ſi *Phœniciis* literis expreſſeris; ita ut ד, quod in *Syriaca, Chaldaica, Rabbinica, Æthiopica* Lingua &c. vicem pronominis inſeparabilis ש eſt, à fronte dictioni די præfigatur: nonne produces *vocem* 𐤃𐤃𐤉 *Dedai*, unde facillimè formes *Taaut*, *Thot*, *Theut* &c.? nonne clarè habebis *Græcum Hermetis* cognomen, ὁ Τρισμέγιστος, *Ter Maximus?* Certè aptius quo *Græca* hæc dictio exprimatur, vocabulum vix univerſa & *Ebræa* & *Phœnicia* lingua ſuppeditabit, atque eſt שדי quod potentiſſimo *Mercurii* numini (ita *Triſmegiſtum* vocat *Julius Matern. Firmic.* lib. 3. Matheſ. c. 1.) apprimè convenit: de quo etiam vide caput noſtrum XIV. ſi placet. Novi equidem Chemicorum ocellum Comitem *Treviſanum* part. 1. libell. ſui ſcribere: Dieſer Namen (Τρισμέγιστος) hat er (Hermes) daher/ dann er hat nicht allein alles das / ſo in der Welt iſt / das nur ein materiam oder formam hat / und alſo aus vier Elementen zuſammen geſetzt (davon dann unzehlich viel Theil der Welt ſeyn) in drey fürnemliche Theil/ nemlich in partem vegetabilem, animalem, & mineralem (von welchen er allen und jeden inſonderheit für allen Philoſophen/ ſonderlichen gründlichen Verſtand gehabt) getheilet: beſondern hat dieſe tres partes philoſophiæ in dem unico benedicto lapide begriffen/ und ſeines Gefallens darmit in opere Solis gehandelt/ auch denſelben alſo verborgener weiſe/ woraus er gemacht werden ſoll / mit dieſen Worten anzeiget. Quibus reſpicit ad verba è *tabulâ*, quam vocant, *Smaragdina Hermetis: Itaque vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus, habens tres partes philoſophiæ totius mundi.* Sed hæc officere nobis necquicquam poſſunt: quippe cùm per meram conjecturam ad nomen *Hermetis* trahantur,

F

tur, utut in se tam vera sint quàm quæ verissima. Tabulam verò illam Smaragdinam *Hermetem* mentiri auctorem, cum Cl. *Conringio. lib. de Herm. Med. cap. 3.* & *5.* statuimus; moti potissimum hoc, quod vox in ea τελσμεγίςυ occurrit, adque tres philosophiæ partes refertur, cùm tamen vix credibile sit, superstite adhuc *Hermete* eam viguisse, aut *Hermetem Græcè* suum nomen prolocutum, quod *Phœnicìè* aut *Ægyptiacè* poterat voce *Taaut* vel *Theut*. Fortassis autem Tabula ea *Hermeti* eo modo adscribenda fuerit, quo Symbolum Christianæ fidei SS. Apostolis: ut quemadmodum hoc dicitur Apostolicum, quòd summam contineat doctrinæ Apostolicæ; licet ab ipsis Apostolis ἀυτολεξεὶ confectum fuisse nec probari possit, nec verisimile sit; ut loquitur celeberrimus Theologus *D. Georg. Calixtus.* Exerc. de auctor. Scriptur. th. 45.: ita quoque illa Hermetica vocetur, quatenus mentem *Hermetis* de lapide philosophorum conficiendo promat, utut iis verbis ab *Hermete* profecta non sit. Quem Græcos τελσμέγιςον appellasse, expresso nomine aut potius cognomine ejus *Taaut* sive *Theut* ex *Ebraico* שדי sic satis probavimus. [Et hæc prima erant Auctoris hujus circa hoc caput conjectanea: postea ipse curis secundis hæc aliter concipienda monuit, opinione de nominibus *Theuth*, *Trismegisto*, & *Tabula Smaragdina* retractata.]

CAP. XXIII.

Tuitonem esse Hermetem sive Chanaanum, arguere nomen Solis Titan, Mercurÿ terrestre numen, Isidem ludum alea &c. cumprimis verò personam Manni.

SEd quorsum tandem abripi nos patimur recensione eorum, quæ *Hermetem Trismegistum* i. e. *Chanaanum* concernunt? Sat credo temporis detrivimus ac papyri in comparandis invicem iis, quæ de *Chanaano*, *Hermete*, *Theut*, atque alato *Mercurio*, *S. Moses*, prisca monumenta, gentiles denique prodidêre. Superest ut à diverticulo in viam redeuntes *Tuitonem* nostrum *Taciti* sequamur. Ille igitur, ut superius multoties diximus, est ipse *Hermes Trismegistus*, sive *Theut*, i. e. *Chanaan* vel *Mercurius*. Quod ut magis atque magis

gis inclareat, quædam è præcedentibus emergentia ordine hic adjungemus. Ac primò quidem *Tuito* noster sive *Dit Gallorum* haud obscurè in *Chami* parentis *Chanaani* familiam atque genus ab iis recipitur, qui deum Solem cui ab appellatione *Chami* nomen *Chaman* (*Mithram* vocabant alii,) dederant, ut *cap.* XIII. nobis disertum, alio nomine *Titana*, aut *Ditem* dixêre. *Achæmenios* dico, de quibus id refert expresse *Statius Papin.* lib. I. *Thebaid.* canens:

——— seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osyrim
Frugiferum, seu Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Martianus item *Capella* de *Nupt. Mercur.* & *Philol.* qui de *Phœbo* ait:

Te Seraphim Nilus, Memphis veneratur Osyrim
Dissona Sacra Mithram Ditemq; feruntq; Typhonem.

Nomen enim illud Solis *Titan* sive *Dite*, ab appellatione Regis antiquissimi Germanorum Deute sive Teute fluxisse, sunt qui *Berosi* fide hodie quoque affirment: in quibus est doctissimus *Philippus Cæsius*; cujus libellum Rosenmand die septim. hebdom. prim. p. m. 215. &c. adeas. Quod deinde *Mercurius* inter terrestres deos collocari solet à scriptoribus; *Epigrammatario* v. gr. veteri cujus verba videas superius cap. VIII. *Æschylo* item qui alicubi ait:

ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοὶ
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων.

Sed terrestres dii casti
Terra & Mercuri, rexque inferorum.

Plutarcho etiam in *Aristide cap.* 12. mentionem MERCURII TERRESTRIS injiciente: optimè verbis *Taciti* respondet, quibus *Tuitonem* nostrum deum terra editum perhibet. Ubi illud quoque notatu occurrit dignum, quod, quem *Kamillum* i. e. servum *Hetrusci* vocarunt *Mercurium*, simili imò eodem vocabulo *Longobardis Germanicæ* nationi dictus est WODA l. GWODA ut è *Paulo Diacono*, citant Cl. *Lipsius Not. 32. ad Germ. Tacit.* ac *Cluver. lib. 1. cap. 9. Germ. A.* notat. Ab *Ebræo* namque עבד i. e. servivit suppresso ע commodùm nomen illud deducimus: permissu tamen *Lipsii*, qui à lucro *Wondam* vel *Wonstam* appellatum autumat.

 Ad-

Adhæc Sacra *Isidis* apud *Suevos* luculentum *Hermeticæ* originis indicium præbent, ut è capite nostro *XV*, & *XVI*, liquere potest, notari meretur *Isidis* hujus plura vestigia superesse in *Germaniâ* nostrâ, è quibus & nomen illud arcis cujusdam Veteris Marchiæ Nobilibus ab Alvensleben subditæ Ysenschnibbe / אֶשְׁנַבָּא fenestra *Isidis*, ac forsan Comitatui Ysenburg inde nomen. Porrò non prætereundum ingens *Germanorum* circa aleam studium, de quo *Tacitus* agit *cap. XXIV*. Innatum illud crediderim genti nostræ; eique non temerè excultum, sed in honorem potius inventoris *Hermetis Theut* i. e. *Tuitonis*. *Theutum* enim aleæ inventorem extitisse *Plato* in *Phædro* notat, dicens: αὐτῷ δὲ ὄνομα τῷ δαίμονι εἶναι Θεὺθ. τοῦτον δὲ πρῶτον ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν εὑρεῖν, καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν. ἔτι δὲ πεττείας τε καὶ κυβείας, καὶ δὴ καὶ γράμματα. *Ipsi verò dæmoni nomen esse Theuth. hunc verò primum Arithmeticam & Logisticam invenisse, & Geometriam & Astronomiam. adhæc autem & calculorum & aleæ ludum, & literas quoque.* Verba denique *Diodori* attendi merentur, *lib. I. sect. 2.* οἱ δ' ἱερεῖς εὑρετὴν τῶν παιδειῶν καὶ τῶν τεχνῶν μυθολογοῦσι τὸν Ἑρμῆν γεγενέναι. *Sacerdotes repertorem disciplinarum & artium dicunt Hermetem fuisse.* Etenim lac lacti non est atque hæc *Diodori* de *Hermete Trismegisto* verba, iis sunt, quæ *Cæsar* de *Gallo Germanorum Mercurio lib. VI.* habet, Hunc inquiens, omnium inventorem artium ferunt. Sed & alia in numerato habemus adhuc, quæ idem multis modis confirment. In quibus ante omnia personâ *Manni* filii *Tuitonis* nostri accuratius quodammodo considerari meretur: Cui negotio aliquot nunc paginas impendere in animo est.

CAP. XXIV.

De Manni nomine: illiusque ex Phœnicia Origine à Cadmo.

M*Anni* non minoribus, atque *Tuitonis* nomen tenebris eruditum orbem involvisse, testes sunt tot doctorum Virorum faculæ oberrantibus hîc accensæ. Quibus ut nihil laudis detractum volumus; ita nec plus justo cuiquam lucis adseri facilè concesserimus; in-

indulgentes hic eandem nobis licentiam, quam antè in extricando *Tuitone*, usi sumus pace doctiorum. Qui igitur de persona *Tuitonis* solliciti, *Phœniciam* atque *Ægyptum* adivimus, successu rei læti non dubitamus, *Manni* etiam causâ, versus easdem regiones iter aliquod adornare. Et ecce *Phœniciam* vix ingressis obvium se nobis dat decantatus ille *Cadmus Phœnicum*, vultu *Mannum Tuitonis* filium referens cultuque; adeò ut cogamur reliquis omnibus posthabitis hunc mente animoque sequi, ac pro *Manno* nostro *Germanico* colere. Cujus patrem *Tuitonem* cum *Chanaanum* fuisse dixerimus, *Chani* filium; fieri profectò nequit, ut ipsum negemus filium *Chanaani* extitisse *Zidonem*. Neque verò necessitas magnoperè id requirit: Cùm adeò non, quibus illud evincamus argumentis destituamur, ut potius efficacissimæ probationes ei negotio transigundo in medium à nobis possint proferri. Quotusquisque enim eorum qui sapiunt, mihi *Cadmum* esse *Zidonem* asserenti, repugnabit, si genus *Cadmi* ad *Zidonis* genus exactum congruere fecero manifestum? Atqui scripta vetustissimorum pervolventes cernimus, patrem *Cadmo Phœnicem* esse, avum *Belum*, proavum *Saturnum*: Sacrâ autem Scripturâ magistrâ didicimus, proavum *Zidonis Noam* fuisse, avum *Chamum*, patrem *Chanaanum*. Jam quis ignorat *Saturni* nomine *Noachum* indigitari? Quis negabit *Chamum* esse *Belum* sive *Jovem?* Quòd enim *Beli* appellatio *Jovi* tribuenda, docet *S. Augustinus l. VII. cap. 16. Locution. Solet*, inquiens, *dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Jovis.* Clariùs adhuc *Eusebius*, apud quem è *Sanchoniathone* occurrrit ΖΕΥΣ ΒΗΛΟΣ i. e. *Jupiter Belus*, בעל *Baal* sive *Beel* Dominus, monente Cl. *Bocharto lib.* 2. *Chanaan cap.* 2. Unde in veteri inscriptione *Palmyræ* legitur:

ΑΓΛΙΒΩΛΩ. ΚΑΙ. ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ.
ΠΑΤΡΙΟΙϹ. ΘΕΟΙϹ.

Quæ, veniâ ab incomparabili *Scaligero*, ΑΓΛΙΒΗΛΩ legente, & Cl. *Bocharto*, æstivum ac hybernum Solem hîc intelligente, impetratâ interpretamur, Deo Plasmatori, & Regi Belo, patriis Diis. i. e. DEO SOLI & JOVI. ΑΓΛΙΒΩΛΩ enim quid aliud dictionis, quàm ΑΛΓΙΒΩΛΩ aut 𐤀𐤋𐤂𐤁𐤋 *Elgabal Phœnicum?*

nicum? Elgabal verò nonne nomen Solis formatum ex אל Deus & גבל aut *Syriaco* ܓܒܠܐ quod de Deo Plasmatore sive Creatore usurpari solet à *Syris;* ut patet è verbis *Auctoris* MS. cujusdam *Syriaci*, quæ cum erudito orbe communicavit, ipse eruditissimus *Hottinger* agens de hâc ipsâ voce *Analect. Diss. 2. p. 114.* ubi inter alia dicitur: ܫܩܠ ܡܪܢ ܒܐܝܕܘܗܝ ܥܦܪܐ ܡܢ ܐܪܒܥ ܦܢܝܬܗ ܕܥܠܡܐ ܘܓܒܠܗ ܠܐܕܡ ܒܨܠܡܗ ܘܒܕܡܘܬܗ ܀ i. e. *Sumpsit Dominus noster in manus suas pulverem de quatuor angulis mundi. Et finxit Adamum ad imaginem & similitudinem suam.* ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ autem *Ebraicum* est מלך בעל *Rex Baal* i. e. *Belus*, sive *Jupiter.* Quem *Chamum* diximus, & patrem esse *Phœnicis*, i. e. *Chanaani. Chanaanum* enim nomen illud *Phœnicis* gessisse primum, legere est apud *Eusebium Præpar. Evang. lib.* 1. ubi *Sanchoniathon* mentionem facit cujusdam ΧΝᾶ, τοῦ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος, *Chna, qui primus cognominatus Phœnix.* Nomen Χνᾶ autem contractum esse כנען quilibet videt. Et qui *Sanchoniathoni* Χνᾶ aut *Phœnicis* literis כנע *Ebr.* כנע vocatur, disertè ab *Eupolemo* Κανάαν dicitur. Ait namque ille, ut Cl. *Bochartus l.* IV. *Phaleg. cap.* 34. adducit, *libr. de Assyr. Judæor. Saturno* prognatum *Belum* & *Chanaanum*, τοῦτον δὲ τὸν Κανάαν γεννῆσαι τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων. *Hunc verò Kanaanum genuisse patrem Phœnicum.* E quibus equidem verbis collatis cum *Apollodoro* (Cl. *Bochart. l.* I. *Chan. cap.* 4. teste) afferente, *Belum* patrem *Phœnicis*, *Phœnicem* ipsum, & *Cadmum* filium *Phœnicis* in *Ægypto* natos &c. elicuimus antea genealogiam *Cadmi*, genealogiæ *Noachi* sic respondentem:

Saturnus.	- - - - -		*Noachus.*
|			|
Belus.	- -	*Belus.*	*Cham.*
|		|	|
Kanaan.	*Chna.*	*Phœnix.*	*Chanaan*
|		|	|
pater *Phœnicum.*		*Cadmus.*	*Zidon.*

Quod si verò quis urgeri nos velit ad dubitandum, num *Zidoni* convenire possit appellatio patris *Phœnicum*, eò quòd illa aptiùs videatur tribui *Phœnici* ipsi, quem *Sanchoniathon* χνᾶ vocat. Ei regerimus, vocem Φοίνικες pro Σιδονίοις sæpè adhiberi; ut vel è *cap. III. Deuter. v. 9.* & *cap. XXIII. v. 2. Esaiæ* patet; ubi cum *Sidoniorum* & *Zidonis* fiat mentio, *LXX. Interpretes* usi sunt voce Φοινίκων & Φοινίκης. *Hesychius* quoque Σιδονίας, Φοίνικας appellat κατ' ἐξοχήν. Unde jam qui *Eupolemo* audit πατὴρ Φοινίκων bene Latinè poterit dici, pater *Sidoniorum:* Quâ ratione optimè eum habueris *Zidonem*. Porrò *Zidon* iste *Cadmus* est: quod nemo, credo, integri judicii è præcedentibus non colligit. Sed aliqua pedem hìc intrudere videtur difficultas. Auctorum namque plerique *Cadmo* patrem faciunt *Agenora*, regem illum *Tyriorum* qui, ut *Phœnicis* nomen reportet, quomodo *Chanaan* vocari possit, non apparet. At salva res est. Præterquam enim, quod nomine *Phœnicis*, quo plurimi *Agenora* insigniunt, *Chanaan* apertè à *Sanchoniathone* appellatur; cui, dic sodes, obscurum est, *Belum*, quem *Eupolemus Kanaano* suo parentem dat, *Agenorem* genuisse? Annon inde homo vel stupidissimus *Chanaanum* reputaret *Agenora?* Et nomen ipsum AGENOR non prorsus à *Chanaano* abhorret. Si enim illud descendere existimes à *Syriaco* ܐܓܪ *Egar* mercede conduxit, unde nomen est, ܬܐܓܘܪܬܐ *Tigurto* negociatio, quæstus, idem planè erit cum nomine כנען negotiatorem significante, aut certè conveniet cum eo, quod *Chanaan* servus dicitur servorum, ubi ad nomen ܐܓܝܪܐ *Egiro* mercenarius respexeris; נ autem ex analogiâ *Ebræorum* voci dagesch forti onerandæ inserci, more *Syris* non raro possit. Sin ad etymon regis alicujus *Phœnices* & *Cypri Cinyræ*, à כנור Cithara derivare malis א præfixo, quòd fortassis κινύρας inventor *Agenor*; est adhuc quod pro *Chanaano* dicamus. Ipsi scilicet eodem jure competit nomen אכנור quo *Agenori*: Est enim *Mercurius*; *Mercurium* autem Musicæ inventorem, &, quod notandum, Citharæ autorem perhibent scriptores, *Diodorus* inprimis l. 3. scribens: ἐπίχαρτα τυγχάνοντα μεγάλης ἀποδοχῆς διὰ τὴν

κιθά-

κιθάραν, ἣν Ἑρμῆν εὑρεῖν φασὶν, Ἀπόλλωνα δὲ πρῶτον αὐτῇ κατὰ τρόπον χρήσασθαι. *Apollinem consecutum ingentem laudem propter Citharam, quam dicant Mercurium invenisse, Apollinem verò primum eâ ritè usum.* Itaque *Cadmus Agenoris*, aut *Phœnicis* i. e. *Chanaani* filius sit maneatque *Zidon*.

CAP. XXV.

An Ægyptus aliquem Cadmi nomine ediderit, & quædam de Mena.

QUoniam verò in *Ægypto* offendimus antehac, cui suo merito *Chanaani* nomen indulgeremus, *Hermetem* videlicet *Theuthum;* operæ fuerit pretium videre in præsenti, num eadem quendam regio olim ediderit, *Cadmi* nomine monstrabilem. In occursum hîc nostrum derepente emergit *Mena* sive *Menas* ille, qui antiquissimis temporibus, cùm Dii pariter ac Heroes regnare cessassent, *Ægypti* regnum suscepit omnium primus mortalium; quemadmodum è priscis *Ægyptiacorum* sacerdotum annalibus deliciæ nostræ *Diodorus lib. 1. sect. 2.* retulit, scribens: μυθολογοῦσι δ' αὐτῶν τινὲς τὸ μὲν πρῶτον ἄρξαι τῆς Αἰγύπτου θεούς τε καὶ ἥρωας. Μετὰ τοὺς θεοὺς τοίνυν πρῶτον φασὶ βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου Μηνᾶν. i. e. *Fabulantur eorum* (Sacerdotum) *quidam, initiò quidem imperasse Ægypto deos atque Heroas* &c. *Post deos verò primum* (subaudi, hominum, quod addit *Herodot. lib. 2.*) *dicunt regnasse in Ægypto Menam.* Iste *Menas Ægyptiorum* usque adeò *Græcorum Cadmum* spirare videtur, ut parùm rerum suarum satagentes habeamus, qui prius hîc à nobis, quàm exporrectâ illis lance rationes nostræ assertionis trutinatæ fuerint, secessum desultoriâ herclè levitate faciunt. Enimverò plura sunt, quæ, quem, ut *Menam* credat esse *Cadmum* i. e. *Zidonem* queant impellere. Primò literarum plerique inventionem apud *Græcos* earundemque usum *Cadmo* ferunt acceptum. Unde est, quod Cl. noster *Opitius*, sive potius Cl. *Heinsius* Hymn. *Bacchi* cecinit:

— — Ich kan auch glauben fast/
Daß du den Cadmus wol zum Elter Vater hast/

Der

Der von Agenor war gesendet zu erkunden
Das was er doch nicht fandt/ was bessers hat gefunden
Die Buchstabn uns erdacht/ und selbst mit eigner Hand
Die hohe Wissenschafft gepflantzt durch Griechenland.

De *Mena* nostro idem *Plinius Anticlidæ* sententiâ tradit *lib. VII. c. 56. Anticlides*, inquiens, *in Ægypto invenisse* (literas) *quendam nomine Menona tradit XV. annis ante Phoroneum antiquissimum Græciæ regem: idque monumentis approbare conatur.* Secundò ævum *Cadmi* atque *Menæ* congruit apprimè. Floruit namque *Menas*, ut jam audivimus, XV. annis ante *Phoroneum Argivorum* regem. *Phoronei* verò imperium in *Argivos* admodum probabili conjectura ad annum à diluvio CL. alligamus. Quoniam enim primus *Argivorum* Rex *Inachus*, ipse *Noachus* est, ut *cap. XV*, demonstratum; decimus autem eorundem *Danaus* regnare cœpit *Cadmo*, ad *Europam* quærendum propediem abituro, *Diodoro* teste; *Cadmus* verô, quem *Zidonem* fuisse probavimus, ultra quadringentos annos vitam, (quæ imbecillitas tunc rerum erat naturæ,) vix prorogare potuit; natus valdè probabiliter *Chanaano* quinquagenario, circa annum à diluvio LXX: Hinc initium regni *Argivorum* post CCCL. annum, quô *Noachus* mortuus, non demum constituendum est; sed nec finis ejusdem sub *Acrisio* XIV. rege, ante excessum *Zidonis* i. e. *Cadmi*, (qui accidere poterat circiter ann. CCCCLXX.) statuendus; quin anni illi DL, quibus stetisse *Argivorum* res Chronologi ferè consentiunt, ita ad annos post diluvianos applicentur, ut primus illorum respondeat horum centesimo, ultimus sexcentesimo quinquagesimo. Tribuantur postmodum *Inacho* quinquaginta illi, quos Chronologi ei asserunt, adque eorum mentem *Phoroneo* sexaginta: reliquos CCCCXL. inter sequentes reges sic dispertire, ut tertio cedant XLV, quarto XL, quinto XXXV, sexto XXX, septimo XXV, octavo XX, nono XV, decimo, qui *Danaus*, XX. Undecimo XL, duodecimo LV, decimo tertio LV, decimo quarto, qui *Acrisius*, LX. Ergò jam *Danaus* in annum CCCCXXX. post diluvium recidet: circa quem *Cadmus Tyro* profectus sororem quæsitum ivit, ut *Diodorus* lib. v. refert his verbis: κατὰ τούτους τοὺς χρόνους Δαναὸς ἔφυγεν ἐξ αἰγύπτου μετὰ τῶν θυγατέρων. τῶν δὲ τοῦ Δαναοῦ θυγατέρων τρεῖς ἐτελεύτησαν κατὰ τὴν ἐπιδημίαν τὴν ἐν τῇ Λίνδῳ αἱ δ' ἄλλαι

μετὰ τοῦ πατρὸς Δαναοῦ εἰς Ἄργος ἐξέπλευσαν. μικρὸν δ' ὕστερον τούτων τῶν χρόνων Κάδμος ὁ Ἀγήνορος ἀποσταλμένος ὑπὸ τοῦ βασιλέως κατὰ ζήτησιν τῆς Εὐρώπης, κατέπλευσεν εἰς τὴν ῥοδίαν. *Post hæc tempora Danaus fugit ex Ægypto unâ cum filiabus &c. filiarum verò Danai tres fato functæ sunt post peregrinationem in Lindum. Reliquæ verò una cum patre Danao ad Argos enavigarunt. paulò post hæc tempora Cadmus Agenorides ablegatus à rege ut quæreret Europam, navigavit in Rhodiam &c. Menas* autem anno CXXXV. *Ægyptiis* ad clavum Reipublicæ sedens, fuerit jam *Cadmus* sive *Zidon*, LXV. circiter annorum; & per ætatem fasces imperii tutò gesserit. Novimus, turbas hîc à Chronologis, nupero præsertim magni *Scaligeri* aliorumque censore, *Thomâ Lydiat*, *Anglo* cieri; eumque doctissimum Virum *Emendat. Tempor. compend. Inachum* ad annum mundi 2049, *Menam Ægyptiorum* ad ann. 2084, *Phoroneum* ad ann. 2099, *Danaum* ad ann. 2531, *Cadmi* profectionem ad *Thebas Bœotiæ* &c. ad annum m. 2549, locare: At ea cuncta vel uno hoc, quòd *Inachum* diximus *Noachum* fuisse, ut sexcenta alia taceam, subverti, nemo non videt; Ineptum scilicet quivis eum dixerit, qui *Noacho*, XLIII. ferè annis post obitum, sceptra *Argiva* decernat. Quæ uberiùs deduci scopus vetat. Tertiò *Menam Ægyptiis Thebis* regnasse & verosimile est, & statuunt Viri docti; è quibus jam laudo Cl. *Lydyat*, *lib. cit.* ad ann. m. 2084. scribentem : Circa idem verò tempus juxta Chronologiam nostram utpote 15 annis ante regnum *Phoronei Argivi*, auctore *Anticlidâ* apud *Plinium l. 7. 56. c. Ægyptiis Thebis*, quæ posteà *Græcis* dicta est *Diospolis*, regnavit *Menon*; qui quidem videtur etiam *Græcis* appellatus & *Menas*, & *Mineus*, & *Mem*, atque *Memnon* &c. *Cadmus* autem non in *Ægypto* solùm natus dicitur ab *Apollodoro cap. præced. citato:* sed *Thebis* etiam *Ægyptiorum* aliquandiu regnasse legitur apud *Eusebium*, qui in *Chronicis* id planè innuere videtur dum *libr. 11*, ad DLXII. ann. *Phœnicem* refert & *Cadmum* de *Thebis Ægyptiorum* in *Syriam* profectos, apud *Tyrum* & *Sidonem* regnavisse. Quod etsi videamus eruditissimum *Lydyat* ann. m. 2549. proponere: ut tuta tamen sit veritas, nos equidem in annos *Menæ* eos illud rejicimus, quibus *Manetho* apud *Josephum* & *Eusebium*, ut *Lydyat* ad ann. m. 2084. ait, auctor est, gentem quandam pastoralem relictâ *Ægy-*

Ægypto consedisse in vicinâ regione *Syriæ* circa *Hierosolyma*; dummodo certum fuerit, quod *Lydyat* addit: hoc *Josephum*, *Eusebiumque* ægrè torquere ad *Israelitarum* exodum ex *Ægypto*. Neque verò desunt nobis, quibus & hanc nostram opinionem stabilire, & Cl. *Lydyatum* ad *Philistæos* & *Caphtoræos* ea trahentem infirmitatis convincere possimus. In primis verò *Herodoti* locus, quô *Phœnicas* inquit, ἀπὸ τῆς ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τὴν δὲ τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον, τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσιν ἐπιθέσθαι. i. e. *à rubro, ut vocatur, mari advenientes ad hoc & illud mare, & inhabitantes eam regionem, quam & nunc incolunt, statim longinquis navigationibus incubuisse &c.* hunc, inquam, locum majori & jure & veritate de manu interpretemur, quam secum ex *Ægypto* in *Phœniciam* adduxisse *Phœnicem* atque *Cadmum* credibile est; quàm *Lydyat* de *Abimelechi Phicolisque* multitudine interpretatus est: Nisi forsan hic *Abimelechus* ipse sit *Phœnix* aut *Cadmus*.

CAP. XXVI.

Plura de Mena Hermetis in Regno Successore, cui Ægyptii religionem profitentur se debere: & hunc Cadmum fuisse.

QUartò ut *Cadmum* sacrorum apud *Græcos* cultusque divini auctorem faciunt scriptores; *Eusebius* præsertim, qui *lib. x. de præpar. Evangel.* ait: *Primum omnium ex Phœniciâ Cadmum Agenoris filium, mysteria & solennitates deorum Græciæ tradidisse, simulacbrorum consecrationes etiam & hymnos &c.* ita *Menæ* suo quoque *Ægyptii* religionem profitentur se debere, apud *Diodorum*; qui Sacerdotes ait *Ægyptiorum* dicere, *Menam Ægypti* Regem καταδεῖξαι τοὺς λαοὺς θεούς τε σέβεσθαι, καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν, i. e. *monstrasse populis, quo pacto deos colere ac sacrificia peragere deberent.* Quintò *Menas Hermeti* procul dubio in regno successit. Docuimus enim superiùs, *Hermetem Taautum Ægyptiis* præfuisse, imò ab ipso *Saturno* universæ *Ægypti* regem creatum: Certè non ante *Osyridem*; Ejus enim consiliarium fuisse *Hermetem* è *Diodoro* novimus,

 ut

ut nihil de eo dicam, quod *Argus Osyride* regnante nondum fuerit interemptus: nec ante *Isidem Osyridis* conjugem; illi namque *Osyris* peregrè abiturus curam regni delegavit, constituto *Hermete* socio consiliorum *Isidis*, teste *Diodoro*, qui *lib. 1. sect. 1.* ait: τὸν δ᾽ οὖν Ὄσιριν φασὶ τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον καταστήσαντα καὶ τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν Ἴσιδι τῇ γυναικὶ παραδόντα, ταύτῃ μὲν παρακαταστῆσαι σύμβουλον τὸν Ἑρμῆν διὰ τὸ φρονήσει τοῦτον διαφέρειν τῶν ἄλλων φίλων. *Osiridem igitur dicunt, quum res Ægypti recto constituisset talo, omnemque principatum Isidi uxori detulisset, adjunxisse ei consiliarium Hermetem, propterea quod ille sapientiâ reliquos amicos antecelleret.* Hactenus *Diodorus* noster *Siculus*. nec ante *Orum Isidis Osiridisque* filium; siquidem huic à *Titanibus* interempto contigit arte matris reviviscere, parentemque *Osiridem* in deorum numerum receptum, dignitate regiâ sequi apud *Ægyptios*, ut *Diodorus* commemorat, scribens: εὑρεῖν δ᾽ αὐτὴν καὶ τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον, δι᾽ οὗ τὸν υἱὸν Ὧρον, ὑπὸ τῶν Τιτάνων ἐπιβουλευθέντα, καὶ νεκρὸν εὑρεθέντα καθ᾽ ὕδατος, μὴ μόνον ἀναστῆσαι, δοῦσαν τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀθανασίας ποιῆσαι μεταλαβεῖν. δοκεῖ δὲ ὕστατος τῶν θεῶν τοῦτος βασιλεῦσαι μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς Ὀσίριδος ἐξ ἀνθρώπων μετάστασιν. *Invenisse verò eam medicamentum etiam immortalitatis, quô filium Orum Titanum insidiis circumventum, mortuumque sub aqua repertum, non modò resuscitasse, datâ animâ, sed etiam immortalitatis effecisse participem. Videtur autem postremus deorum hic regnavisse, post parentis Osiridis ex humanis excessum* i. e. Apotheosin. Taceo necessitudinem, quæ *Hermeti* cum *Osiride Iside* omnique horum stirpe intercessit, per quam stetit, ut nollet ad gubernacula *Ægypti* adspirare *Hermes*, *Ohro* adhuc inter mortales; illo scilicet, qui eam apud subditos laudem emeruit, ut aliis posteriorum seculorum regibus, honorificum παῖερ aut Φαῖερ, seu *Pharaonis* cognomen (quod planè est *Gallicum* Monsieur, *Germanicumque* nostrum, Mein Herr/ quô principes indigitare consuevimus,) à nomine ipsius *Oro* regem aut dominum significante, fuerit inditum: sed nec post *Menam* regnasse *Hermetem* dici potest; quandoquidem, ut è præcedentibus liquet, omnes *Menæ* successores, perinde ac *Menas* ipse homines fuêre; cùm interim *Hermes Taaut* deus audiat, interim dæmon, interim divinus homo. Itaque his omnibus expensis censendum est, *Hermeti* post

Orum,

Orum, proximèque ante *Menam* regalem splendorem obtigisse. Eo vero certo, non temerè surrecturum quem arbitramur, qui *Menam Hermetis* successorem, pro alio quàm *Cadmo*, filio *Hermetis* primogenito, multarumque rerum, quibus gloria regni prisco sapientum ordini parta, auctore habeat: cùm verosimilius nihil sit, quàm filium, paternarum virtutum hæredem, quique ingenti aliquo beneficio patriam affecerit, regalis etiam potentiæ hæredem evadere. Sextò, à nobis, qui *Cadmum Menam* fuisse statuimus, illud quoque est, quòd celeberrimam in *Libyâ*, *Ægypto* contermina regione, urbem *Menam* à *Cadmo* conditam legimus apud *Nonnum*, ad quem nos amandat Cl. *Bochartus lib. 1. Chanaan cap. 24.* adducens ejus verba.

—— —— Λιβυσίδι Κάδμος ἀρούρῃ
δωμήσας πολίων ἑκατοντάδα, δῶκε δ' ἑκάστῃ
δύσβατα λαϊνέοις ὑψούμενα τείχεα πύργοις.
—— —— *Libyco Cadmus solo*
Ædificans centum urbes dedit unicuique
Inaccessa mœnia exaltata unà cum lapideis turribus.

Et mox hunc, quo unius è centum præstantissimæ urbis meminit, versum:

Τικτομένης ναίοντες ἐδέθλια γείτονα Μήνης.

Ubi Cl. *Bochartus* mendum grave tollit, legendo, Αἰθιομένης: Poterat tamen *Nonnus* ex probabili nostra conjectura scripsisse, τυφομένης; Quæ vox propius à vulgata abest, & pulchrè *Diodori* verba, quibus lib. 3. *Menam* urbem dicit ἔχειν πυρὸς ἐκφυσήματα μεγάλα, *habere ignis efflationes magnas*, exprimere videtur, ut sensus sit:

Ardendo fumigantis inhabitantes sedes vicinas Menæ.

Id verò nominis hæc urbs absque dubio à conditoris *Cadmi* nomine *Mena* sortita est. Etenim, quod septimò monemus, ipsa *Cadmi* appellatio, nomen *Menæ Agenoridæ* nostro fuisse, videtur eloqui. *Phœnicia* namque illa est, inque *Ebraicarum* radicum sacro nemore venanda. Quod ante nos quoque vidit oculatissimus *Bochartus lib. 4. Phaleg. c. 36. & lib. 1. Chanaan. cap. 19.* Ubi *Cadmi* nomen ortum dicit ab *Ebr.* קדמוני, quô *Chananæi* montis *Hermon* accolæ *S. Mosi Gen. XIX, 15.* denotantur, quod partem terræ *Chanaan* maximè Orientalem tenuerint. קדמוני enim Orientalem significat, ac

ac קדם Orientem. Nos verò, quò ad scopum tandem pertingamus, paullùm à doctissimo Viro recedente sententiâ existimamus, dictionem *Cadmus* è binis istis, קדמוני, *Syriacè* ܩܕܡܝܐ i. e. antiquus, vetus; & מן i. e. *Mena* nom. propr. crevisse, ac designare veterem sive antiquum *Menam*, ita scriptam + קדמן *Kadmon.* Sanè & *Menam* & *Cadmum* subindè παλαιὸν, antiquissimum, Veterem &c. vocari, sedulo antiquorum monumentorum lectori non potest ignotum esse.

CAP. XXVII.

Amplius probatur Menam fuisse Cadmum & Zidonem: ubi plura de vocabulo Mena, Hermin, & Herminonum, Ingævonis, ac Istævonis.

QUi *Cadmo* nomen & *Zidonis* & *Menæ* vendicaturi, desiimus in etymo vocis Κάδμος; ortæ dictionibus קדמי & מן, significatu Veteris sive antiqui *Menæ:* in vocabulo Menæ rursum exorsi, telam protexemus. Diximus ante, *Mannum Germanicum Taciti Cadmum* videri, i. e. *Zidonem, Chanaani*, sive *Tuitonis* nostri *Germanici* gnatum. Id verò jam non conjectamus amplius, sed prorsum existimamus, postquam plurimis indiciis, *Cadmum* fuisse *Ægyptiorum* veterem illum *Menam* animadvertere licuit. Primò enim non in speciem tantum, sed & reipsâ illud maximè urgens est, quod *Ebræorum* illi, qui *Germanos Chananæos* reputant, ex *Illyrico* eos in *Germaniam* ajunt progressos: Cui sententiæ Viri etiam quidam docti subscribunt; ceu Cl. *Bochartus l. 1. Chanaan. cap. 23.* testatur, *Sunt*, inquiens, *qui ex Illyrico Phœnicas in Germaniam penetrasse asserunt ex Hebræorum fide. Cadmum* autem patriâ pulsum unâ cum *Hermione* conjuge in *Illyriam* venisse notum est; & *Ovidius Met. lib. IV.* his verbis confirmat:

Nescit Agenorides natam, parumque nepotem
Æquoris esse deos: luctu serieque malorum
Victus, & ostentis, quæ plurima viderat, exit
Conditor urbe sua, tanquam fortuna locorum,

Non

Non sua se premeret, longisque erroribus actus
Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines.

Quem hîc ingenium adeò deficit, ut non pervideat, quis *Mannus* eorum, qui *Cadmo* i. e. *Mena* duce in *Illyricum*, & inde in *Germaniam* penetravêre, extiterit? Accedit ut secundò de eo dicamus, manifestissimum uxoris *Cadmi* in *Germania* nostrâ vestigium. Unde enim, quæso, filii *Manni* ejusque posterorum nomina *Hermin*, & *Herminones* commodiùs formes, quàm à matris eorum nomine *Hermione?* Ita namque vocabatur *Cadmi* i. e. *Menæ* conjux; *Phœnicio* idiomate forsan, ארעמנא *Eromena*, à רעה aut רע præfixo א, & מנא sive מן q. d. amica vel socia *Menæ*. Quæ appellatio, ut quæ maximè, idonea est ad statuendum originem certam nomini *Irmin*, *Ermin*, *Armin*, sive appositâ aspiratione, & pro i finale e, *Hirmen*, *Hermen*, *Harmen* &c. quod ab antiquissima usque memoria *Germanis* frequens fuit, ac cujus & origo & significatio hodiè ignorantur. ut Cl. *Conringius lib. de Herm. Medic. c. VII.* inquit. Qui præclarè etiam addit: *Recens commentum est, vocem illam à Germanico* Mann/ & Her/ *ortum, quasi significet virum dominum, aut ut alii volunt, exercitus dominum. Neque enim ante Hermannum Contractum fortè quis audivit Herman in Germanis. Refellitur autem etymum duarum istarum vocularum sono, longè diverso à populari pronunciatione omnibus seculis usitata nominis Hermin aut Hermen. A Græco ad nos pervenisse id nominis ridiculum. Componi verò olim solitum est cum aliis voculis variis. Hinc non tantum Hermin, sed & Herminburc, Herminfrid, Hermingard, Hermingaus, Hermingund, Herminhild, Herminhold, Herminhulf, Herminrath, Herminric, Herminsind, Hermintrud, Herminvar, Herminwic, & similia.* Vide *Meibomium Irmensulæ Saxonicæ cap. 6.* Ita Cl. *Conringius*, nosque cum eodem de nomine filii *Manni Hermin.* Ad alterius autem filii nomen *Ingævon* alludit appellatio filiæ *Cadmi Agave:* Tertium denique *Istævon* convenire nonnihil videtur cum nomine unius è posteris *Cadmi Autesion.* Quanquam aliter hæc expediri posse non dissimulemus. Quod si enim mavelis, dictionem *Ebr.* קדם unde *Cadmi* nomen descendisse diximus, reddi Oriens; ut *Cadmon* idem sit quod Orientalis, juxta

juxta Cl. *Bocharti*, vel ad nostram mentem, Orientalis *Mena*: tunc interpretabimur nomen *Ingævon*, Meridionalem, ab *Ebr.* נגב Meridies, auster, præfixo א, & terminatione ין ἀναλόγως additâ; *Istævon* verò nobis Septentrionalem denotabit, à voce צפון Septentrio, & צפוני aquilonaris, itidem præposito א ac צ in st resoluto; Quo quidem adhuc ad *Cadmum* digitum quasi exerere nomina ea filiorum *Manni* nostri videbis. Tertiò non parum ex eo nostra de *Cadmo* opinio incrementi capit, quòd doctissimi aliquot Viri *Menam Ægyptium* (quem *Cadmum* fuisse ostendimus) habent *Germanorum Mannum:* E quibus quasi principem quendam laudo Cl. *Bochartum;* qui *lib.* 1. *Chan. c.* 23. ac Cl. *Cluv. lib.* 1. *G. A. cap.* 23. idem nobiscum hâc quidem parte sentiunt: quanquam cum *Cluverio* quod *Adamum* hominem primum pro *Mena* hoc ac *Manno* nostro habendum ait, divortium mox faciamus.

CAP. XXVIII.

De Hercule Ægyptiaco & Phœnicio quædam: *ubi etiam nonnulla de Bardito, & Bardis.*

QUæ à nobis de *Manno* disserta, sufficere possunt nostro instituto. Pergentes igitur ad alia, in *Herculem*, vel ipso nomine timendum incidimus. Fertur iste *Germaniam* quoque adiisse, primusque omnium virorum fortium à *Germanis* ituris in prælia fuisse olim cantatus; *Tacito* ejus rei auctore. Cujus scriptoris fide nixi Viri eruditi cœperunt ante nos suspicari, *Germanos* ex Oriente oras has nostras, appellente eos ad easdem *Hercule*, occupatum venisse. Ita Cl. *Bochartus lib.* 1. *Chan. c.* 23. censet, dicens: *Credibile est, non quidem è terrâ Chanaan, sed ex Ægypto proximâ priscam aliquam coloniam ab Ægyptio Hercule eò* (in Germaniam) *deductam.* Quod dicit, non quidem ex terrâ *Chanaan*, contra nos militat, qui è terra *Chanaan* i. e. *Phœniciâ* conditores genti nostræ præfecimus. Regerimus ergò Viro magno: parum tutò ipsum inquisituros de ortu *Germanorum Phœniciâ* arcere; cum concesserit iis eam libertatem, quâ *Herculem Ægyptiorum* in numerum conditorum *Germanicorum* populorum adlegere possint. Atqui *Hercules Ægyptiacus* idem cum

cum *Phœnicio* sive *Tyrio* est, velit nolit Cl. *Bochartus.* Neque verò minimam verisimilitudinis speciem habet, si dixeris *Herculem Ægyptiorum* diversum à *Phœnicio*; & interim ambabus quod ajunt largiaris, *Saturnum, Belum, Teutum* &c. quibus tam *Ægyptii* quàm *Phœnices* superbiunt, utrique populo eosdem extitisse; ut taceam alia quæ huc faciant. Adde quod scriptores *Philostratus, Mela* &c. *Ægyptium Herculem* pro *Phœnicio* habent: ceu nos, suo herclè incommodo, docuit ipse doctissimus *Bochartus,* dum *lib.* 1. *Chan. c.* 34. ait: *Verisimile est, Ægyptium* (Herculem) *illi* (Melæ) *eundem esse cum Phœnicio. Nec alia mens Philostrati &c.* Idem Vir incomparabilis agnoscit *Herculem* in *Hispaniâ* atque *Galliâ* plures urbes condidisse; ac *lib.* 3. *Phaleg. cap.* 7, item *lib.* 1. *Chanaan cap.* 41. ostendit *Tyrium* sive *Phœnicium* eum fuisse non *Græcum.* Num verò citra inconsiderantiæ crimen quis negaverit, *Herculi* illi *Phœnicio* tam in proclivi fuisse è *Galliis* in *Germaniam* pergere, quàm imber est quando pluit, ipse quidem videat: Nos inde quòd Hercules *Ægyptiacus* i. e. *Tyrius* in *Germania* nostra fuisse legitur, novum tibicinem sententiæ de *Tuitone Hermete* &c. fulciendæ petimus; idque tanto alacrius, quanto certius novimus *Herculem* non tantum annis, sed etiam consortio *Hermetem Theutum* tetigisse: *Osiris* enim quum uxori *Ægyptum* eo absente administraturæ consiliorum omnium magistrum dedisset *Hermetem*; ratus rempublicam armis, ad propulsandos ingruentis hostis impetus indigere, *Diodoro* lib. 1. dicitur, ϛρατηγὸν ἀπολιπεῖν ἁπάσης τῆς ὑφ' αὐτὸν χώρας Ἡρακλέα γένει τε προσήκοντα καὶ θαυμαζόμενον ἐπ' ἀνδρείᾳ τε καὶ σώματος ῥώμῃ. i. e. *militiæ ducem reliquisse omnis quæ ipsi* (Osiridi) *subjecta erat regionis Herculem, qui & genere ipsi conjunctus, & propter fortitudinem ac corporis robur admirandus erat.* Cluverius *c.* 28. *l.* 1. *G. A.* se quod fuerit *Herculi* apud *Germanos* nomen planè ignorare: *Gallos* suâ linguâ adpellasse Ὄγμιον, *Ogmium, Lucianum* esse autorem in *Hercule Gallico* scribit. Cæterùm carminum illorum, quibus *Herculem* concelebrare solebant majores nostri in acie fervertes, relatum *Barditum* dictum *Tacitus* ait. Quam equidem vocem perperam commutarunt alii dictione *Baritum,* alii voculâ fictâ *blaritum*: cum rectè se habeat per d scripta; efficta quippe ad nomen auctorum hujus generis carminum. *Bardos* enim *Gallorum* ac

H *Bri-*

Britannorum (ii autem *Germanicæ* ſtirpis) carminibus fortes animas, belloque peremptas, laude vehere, eoque poſteris calcaria quaſi ſolitos addere, ad ſpatia acrioris fortitudinis, more majorum, id eſt gnaviter & imperterritè decurrendum, conſtat; idque vel è *Strabone lib.* 5. ac *Lucano lib.* 1. unde jam ſcitè eum qui talia *Bardorum* carmina referat, dixeris *Barditum* edere. Nominis verò *Bardorum* hæc aſſignari ratio poteſt: Bar & Bart ſive Ber & Bert *Germanicæ* voculæ ſunt, liberum ac libertatem denotantes; unde wankelbar / ſeldenbar / wunnebar / leidesbar ꝛc. quæ aliàs ſunt wankelbren / ſeldenbren ꝛc. ut tradit Cl. *Goldaſtus* Not. *in Winsbekium* p. 417. qui adducit quoque *Notkerum*, *Pſalmi* CXXXVI. verſum 6, ſic reddentem: *Ter dia erda geféſtenóta óbe Wázere. tar sî bár iſt &c.* *Cæſarium* item *Heiſterbacenſem lib.* 1. *de vit. Engilberti Epiſcop. Colonienſ. cap.* 50. ſcribentem: *Videtur mihi in primis antiſtitis noſtri vocabulum quoddam futuræ beatitudinis ejus fuiſſe præſagium, ex Teutonico enim Latinoque compoſitum Angelicam ſonat libertatem.* Hinc ergo Baren / Barten ſive Barden homines liberi fuerint, freye Leute; quod ipſum herclè arguere videtur *Lucanus* cit. loc. ajens:

Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

ſecuri i. e. liberi. Ex Oriente autem vocem eam eſſe dubiam non eſt.

CAP. XXIX.

De Germaniæ vocabulo: item Rheni, ac Danubij: Abnobæ montis: frameæ &c.

ORientem quoque *Phœniciam* inprimis redolent reliqua apud *Tacitum* noſtrum vocabula *Germanica*: Quæ in unum quaſi faſcem lectori componere placet; quò ex iis præcedentia ac viciſſim ex his illa nonnihil roboris contrahant. *Germaniæ* vocabulum, quod Cl. *Goldaſto* præfat. 1. theils der Reichs-Satzungen / à nomine Herman aſperiùs pronunciato Cherman / derivatur, aliis verò à *Gallico-Germanico guerra* aut Werra / i. e. bellum, ac *Ebraic.* גרה miſcuit prœlia; ut *German* ſit Kriegsmann / quod & facit *Cluverius l.* 2. *c.* 20. *Germ. A.* &c. aliis aliundè, nos deducimus

ab

ab *Ebr.* גור i. e. transgressus est habitandi causa de loco in peregrinum; unde est גר *ger*, interprete *R. Salomone*: אדם שלא נולד באותה מדינה אלא בוא ממדינה אחרת לגור שם: ut vertit Cl. *Buxtorf.* rad. hâc. *Est homo, qui non natus est in illâ civitate, sed venit ex aliâ civitate ad habitandum illic.* Atque ita *Germani* sive *Germanni* nobis idem fuerint quod peregrini, deque suis regionibus in alias transgressi *Manni* i. e. *Teutones*. Credibile scilicet est, vocabulo *Manni* universam *Germanorum* gentem vocatam; perinde ac filiorum *Manni* nominibus singulæ nationes; & antiquâ *Tuitonis* appellatione omnes *Germanicæ* originis populi *Hispani*, *Galli*, *Britanni*, *Germani*, *Illyres* &c. Etymon hoc *Germanici* nominis quadrat ad verba *Taciti*, quibus ille populos è *Germaniâ* in *Galliam* vi transgressos nunc *Tungros*, tunc *Germanos* dictos ait. *Tungrorum* enim nomen, quod verbo נגר *diffudit* vel *effudit se*, addito servili ת ortum quilibet videt, designat populum in alias terras se effundentem, significatu cum *Germannorum* etymo conveniente. Accedit quod ob metum *Germanorum* vox indita iis legitur apud *Tacitum*: Etenim quum radix גרה præter peregrinari, metuere etiam, item formidare significet, à vero alienum nil dixeris, si dicas *Gallis* absque dubio dictionem fuisse, quæ *Ebraicæ* Ger affinis, & peregrinum & fortasse metum denotârit, unde denominati *Germani*. Sequuntur nomina fluviorum *Rheni*, ac *Danubii*, quibus fines *Germaniæ* olim terminati. Ea admodum celebria in *Romano* orbe fuisse inde colligo, quod imposita hominibus *Romanis* legam in veteri Inscriptione *Neapolitanâ*:

POMPONIUS. CRESCENTI.
RHENO. DANUVIO. NEPOTIBUS. ET EUPHRATI. PATRI. EORUM. FILIO.

Ubi pro *Danubio*, *Danuvio*, scribi etiam posse observamus. *Rhenus* verò dictus est רי העין irrigatio fontis: utut Cl. *Lipsius not. 62. ad Germ. Tacit.* viderit, qui *Rheni* etymon à ritu *Germanorum* de exploratione liberorum in *Rheno*, petendum adseveraret, quasi Purgatoris, Rein. *Danubius* vocatur דנבע qui aquam scaturiendo eru-

eructat. Monti *Abnobæ* cujus jugo *Danubius* effunditur, nomen est ab אבן & אוב q. d. lapis *Pythonis* vel *Apollinis*: Cujus nomen *Græcum* Α'πόλλων aliunde verius non derivaveris quàm ab אוב & פלוני i. e. *Pytho* ὁ δεῖνα. Fortassis autem ara è solido lapide dæmoni huic in monte *Abnoba* extructa. Porrò vocabulum *framea* planè *Ebræum* est à פרם scidit, discidit &c. Dictio denique illa, quâ delectum juvenum ante aciem locatorum nuncuparunt *Germani*, non est *Latinorum* numerus Centum; utut *Tacito* ita visum: sed sono *Latinæ* voci similis vocula, quæ ex *Ebr.* חנה *aciem disposuit*, & חנית *hasta* efficta, hastatum, inque fronte aciei constitutum denotet: Cujus ignoratum etymon, quid mirum si *Latino* homini *Tacito* imposuerit?

CAP. XXX.

De Herthum, id est, Terra matre, & Alce Germanorum numine, deque Phœnicum Cabiris: & Luna, Urania, Astarte, Αςροάρχη, & Phœnicia Gentis sede in Germania.

RE Ecensens *Tacitus cap.* 40. aliquot *Germaniæ* populos, nec quidquam inquit notabile in singulis, nisi quod in commune *Herthum*, id est *Terram matrem* colunt. Torsit id nominis non paucos è doctis: contra quos calamo jam venire displicet. Insigne verò illud præbet argumentum *Phœniciæ* gentis in *Germania* nostra. Etenim ab *Ebræo* ארץ terra *Chaldæis* formatur ארעא *Syris* eodem modo, ܐܪܥܐ Unde prisci suum ἔρα sive *Hera* formavere, quô vocabulo, ut *Servius ad* 4. *Eclog. Virg.* & *Martian. Capell. lib.* 2. *de Nupt. Merc.* &c. notavere, terra olim insignita: *Arabibus* verò צ in ض *Ths* converso, est, ارض *Arthson*, quomodo *Phœnicium* fuisse rectè dixeris 𐤀𐤓𐤈 *Arth.* Jam אם matrem significans addatur, & habebimus dictionem : 𐤀𐤓𐤈𐤀𐤌 *Arthem* i. e. terra mater. *Phœnicas* verò numen terræ matris veneratos

tum

tum inde probamus, quòd illud idem eſt cum dea *Syria*, quam *Phœnices* ut notum coluêre: ceu è Cl. *Beroaldo* tradit doctiſſimus *Dempſterus Paralip. ad c. 4. lib. 11. Antiq. Roſin.* tum hinc, quòd nomen *Cybele*, quod aliàs gerere ſolet, apud *Phœnicas* nacta eſt. כבלון *Chabalon* enim *Phœnicià* linguà diſplicentiam denotat; unde nomen regioni cuidam *Galilææ* quam *Salomon* Regi *Phœnicum Hiramo* dono dederat, quòd ea minus *Tyri* Regi placebat, inditum *Chabul. 1. Reg. IX, 13.* Vide *Joſeph. Antiq. lib. VIII. cap. 2.* Atque ſic dicta eſt *Cybele* quaſi contempta, quæ non placuiſſet. Et certè non ſatis placuit parenti *Meoni*, qui rex antiquis ſeculis *Phrygiæ* atque *Lydiæ* fuiſſe legitur ap. *Diodor. lib. III.* Ille namque è *Dindyme* uxore ſuſcipiens hanc filiam, exponi eam juſſit, quòd nollet eam educare &c. Cæterùm laudatus modò *Diodorus libr. V.* ſcribit: τὴν μὲν Κυβέλην Ολύμπῳ τῷ πρώτῳ συνοικήσασαν, γεννῆσαι Ἀλκήν, *Cybelem hanc re cum primo Olympo habita genuiſſe Alcem &c.* Quæ verba anſam nobis dare videntur agere de numine illo *Germanorum Alce*, de quo *Tacitus c. XLIV.* tractat. Speciem præ ſe aliquam tulerit, ſi ſtatuamus nomen *Alcæ* deæ tributum *Dioſcuris Caſtori* atque *Polluci*, eò quod ii *Jove Cybeles* ſocero nati; quippe cujus filio *Jaſoni Cybele* peperiſſet *Corybantas*, qui à *Sanchoniathone* pro ipſis *Dioſcuris* habentur. Sed huc in præſenti ire animus non fert, quum veroſimiliora ſuppetant. Veritati ſcilicet maximè conſentaneum eſt, appellationem *Alcis*, quam *Caſtori* atque *Polluci Germani* impoſuere, *Arabicam* eſſe. *Arabes* enim, ut periti rerum Aſtronomicarum norunt, ſidera *Caſtoris* atque *Pollucis* geminorum, vocabulo الجوزا *Algeuza* ſive *Algeuſe* appellant: Quod cum dictione *Alcis* prorſum coincidit. Nemini verò mirum hîc videatur, quod fratres hi *Germanis* culti. Nam patrueles illos ſcimus extitiſſe *Tuitonis* noſtri, i. e. *Taauti Phœnicis*; edocti id à *Sanchoniathone*, qui cum à *Miſore Taautum* tradidiſſet natum, ſubjicit ex *Syduc* fratre *Miſoris* ortos *Dioſcuros*, *Corybantas*, ſeu *Cabiros*. Ubi obiter notamus, perperam aliquos vocem hanc *Cabir* deducere ab *Ebr.* כביר validus, ingens: exquiſitum autem fore, ſi derivetur ab *Æthiopico* nomine ሐወር፡ *Chawer*, i. e. nobilis ac libera familia; radice vocis ሐወረ፡ *Chawara*, & contractè

Chora,

ሖረ: *Chora*, abiit, liberè vagatus eſt: quâ ortum nomen ሖወሪዩ *Chawarej*, liberum ex nobili familiâ ortum denotat; non Apoſtolum, quod tamen magnus *Joſeph. Scaliger* voluit; cen hæc monet Cl. *Joann. Erneſtus Gerhardus Diſput. Poſition. ex Ebr. Chald. Syr. Arab. Æthiop. LL.* qui nobis quoque largitur, vocem hanc ሖወረያዊ: epitheton magni *Æthiopum* Monarchæ eſſe, quô iſte honoris ergò ſalutari à ſuis ſoleat: ንጉሥ: ሖወረያዊ: *Negaſch Chawarajwi* i. e. Rex illuſtri ac libera familia natus: quòd perſuaſum ſibi habeant *Æthiopes*, *Æthiopiæ* reginam, (quâ de Sacræ Hiſtoriæ commemorant *1. Reg. 10.*) ex *Salomone* concepiſſe filium nomine *Menimelech*; unde moderni reges familiam ſuam recenſere conſueverunt. Ab his igitur *Æthiopicis* dictionibus, (quæ à radice *Ebræa*, חור deſuſæ, cujus ſtirpis nomen plurativo numero חורים i. e. illuſtres, liberi, ingenui &c. extat;) ſi ortum noſtrum *Cabir* arbitramur, denotabit id nobis Illuſtrem ac Celſiſſimum, Hochgeborn &c. ac *Caſtori* atque *Polluci* jure competet; prognatis quippe maximo gentilium deorum *Jove* ſive *Belo Phœnicum*, atque adeò digniſſimis qui honorificâ hâc voce *Phœnicibus* audirent 𐤇𐤁𐤓𐤉𐤌 *Chebarim* ſive *Chabirim* i. e. Illuſtriſſimi, die Hochgeborne. Sed hæc hactenus de numinibus *Germanorum Herthum* & *Alcis*, ductuque hujus de *Phœnicum* Chabiris. Obſervari nunc meretur, quod *Tacitus* innuit, Majores noſtros tanto cultu *Lunam* proſecutos, ut negotiorum publicorum curam non niſi eâ novâ aut plenâ ſuſcipere voluerint, *Coeunt*, inquiens, *niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cùm aut inchoatur luna, aut impletur: nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt.* *Phœnicas* enim & hoc ſe probant: quippe quibus *Luna* ſi quodquam numen impendio curatum. Fidem rei facit *Herodianus lib. 5. c. 6. Hiſt.* ſcribens: φήσας δὲ ἀπαρέσκεσθαι αὐτῷ, ὡς πάντα ἐν ὅπλοις καὶ πολεμικῇ θεῷ, τῆς Οὐρανίας τὸ ἄγαλμα μετεπέμψατο σεβόντων αὐτὸ ὑπερφυῶς Καρχηδονίων τε καὶ τῶν κατὰ τὴν λιβύην ἀνθρώπων. Φασὶ δὲ αὐτὸ Διδὼ τὴν Φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε δὴ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε,. βύρσαν κατατεμοῦσα. λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι·

Φοι-

Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες. *Dein cordi esse negans deo belligeram uxorem, atque armatam, simulacbrum Uraniæ jussit afferri: quod scilicet Carthaginensibus omnique Africæ incredibilem in modum venerabile, positum fuisse à Phœnissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificavit. Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Ubi notandum, *Uraniam* hanc sive *Astroarchen, Phœnicum* deam *Astarten* esse, quæ in Sacris literis *Astaroth* vocari solet: Cujus nomen *Græci*, ut *Bœcler. not. ad Herodian.* hunc locum ait, aliqua similitudine literarum ducti, corrupere in sui idiomatis vocem, Ἀστροάρχην quasi reginam siderum aut cœli vocantes. *Itaque* (pergit Cl. *Bœclerus,*) *non opus erat, ut vir doctissimus Petrus Faber (cujus dissertatio de hoc Herodiani loco lectu digna est) lib. 3. semestr. cap. 1. expungeret* τὴν Ἀστροάρχην *&* Ἀστάρτην *reponeret. Herodianum enim ita scripsisse, nullum est dubium: quippe qui Græcos hîc secutus est; cum & Orpheus* Ἀστροάρχην *vocet Lunam.* Hucusque Bœclerus. Sufficere ea poterant monstraturis *Phœniciæ* gentis sedem in *Germania*: Sed ecce aliud, idque majus ejus rei argumentum hinc emergit. Ad hoc enim *Astartes* deæ *Phœnicum* nomen alludit (verba Cl. *Bocharti è lib. 1. Chanaan cap. 42.* transscribimus,) *Aestar* vel *Easter*. Ea fuit dea *Saxonum*, cui mense *Aprili* sacrificarunt. Unde *Aprilem* mensem vocarunt *Easter monath*, ut scribit *Beda, in lib. de temporibus.* Quin hodieque *Angli* Paschales ferias appellant *Eastertinne* &c. Grande si quicquam judico, momentum, ad ostendendum *Germanos* è *Phœniciâ* oriundos: Quei enim dubitandi locus amplius sit; accedente ad plura alia, cultu *Phœniciæ* deæ *Astartæ* à *Germanis* præstito, tum *Aestaris* veneratione tum religione in Lunam maximâ?

CAP.

CAP. XXXI.

Conclusio de Phœnicum in Germaniam deducta Colonia per Tuitonem, i. e. Chananæum, Mercurium Trismegistum, aut filium ejus Mannum, sive Cadmum.

TAndem, ne molem propositi opusculi excedat capitum numerus, sufflaminandus sit calamus noster. Candide Lector, triginta his capitibus, quæ vocantur, dissertationis nostræ, videmur nobis in liquidum perduxisse rem de *Phœnicum* aliqua in hunc *Europæ* tractum deducta colonia; duce *Tuitone*, i. e. *Chananæo, Mercurio* illo *Trismegisto;* aut filio ejus *Manno*, sive *Cadmo:* Quàm feliciter, penes te sit arbitrium. Plura, fatemur, & disceptari poterant, & dici, & conjectari: Sed integer æquioris Lectoris animus, deque nobis liberè existimaturus, nimiâ quâdam largitate corrumpendus non erat. Sed & fors, quâ immane quantum! iniquâ, dum hæc scribimus, utimur; inopes & à sodalibus, & à libris, & à corporis denique valetudine, veniam nobis ab optimo quoque impetrabit, quod nec de rerum ubertate, discursui; nec partibus ejusdem de apto nexu; nec de cultu exquisitiore, orationi nostræ satis prospeximus. Juvenis scilicet ad hoc negotium accessi, debilis artus, meaque sede quasi excussus, ac quiete Musis adamatâ. Adhæc tyrocinium edere mens erat, eoque prima stipendia mereri, non coronas aut statuam veteranorum imperatorumve. Tu ergò bone Lector, qui arbiter elegare, ita de crudis his, in elegantissimum elegantis *Taciti* libellum *Conjectaneis*, (cave enim aliud quæras quàm conjectanea,) deque me pronuncia, ut sicubi hallucinatus fuero, amicum in te inveniant meæ Musæ, i. e. monitorem candidum; non protervum conviciatorem.

Vale.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.